



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesaurus Eloquentiae Sacrae Et Profanae, Saluti &  
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

**Alberti, Alberto**

**Coloniae Agrippinae, 1669**

Actionis Pars Altera, Et Refvtationis Primvm Capvt. In quo palàm sit,  
Ciceronianæ Corruptores Eloquentiæ vera ingenij laude carere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)

# ACTIONIS PARS ALTERA,

ET

## REFVTATIONIS PRIMVM CAPVT.

In quo palàm fit,

*Ciceroniana Corruptores Eloquen-  
tia vera ingenij laude  
carere.*

120. **D**E pulcherrimâ eloquentiæ  
formâ à phaleratis Oratori-  
bus, atque Concionatoribus,  
exuberantium ornamento-  
rum, præsertim acuminum  
factoribus, manifesto corruptâ, quam in pri-  
mo hujus orationis meæ ingressu fidem dedi,  
hactenus disceptando, sat superque, Auditores,  
jam exolui. Nunc lubet ultra pergere, ac pro-  
missis aliquid insuper addendo, ex iisdem per-  
contari placet, quid causæ eos ad nobilissimâ  
regiæ eloquentiæ speciem deserendam; contra-  
verò ad vitiosissimi styli characterem, vel no-  
uum, vel renovatum de nouo jam invehendum  
impulerit?

*Nimie.*

TIO



*Nimiorum aucupes Ornamentorum, omnia per  
suadendi cura ingenij, ambulant prarogativa.*

121. **P**ersuadendi vim, ac palmã sanè, inquit, perdidimus; argumentorum robore deficiamus; morum exprimendorum gratiã caremus; commovendorum spe animorũ, nostramque in sententiã oratione compellendorum jam diu excidimus. Hoc diutius, salvo pudore, inficiari non possumus. Fatemur candidè non inviti. Ad hanc quantamcunque futurã alio quã exaggerato lucro redimimus. Nam licèt persuadendi nervo succumbamus, ingenij tamen longè præstantioris laude certè antecellimus, omnesq; facildè superamus. Nos nos ingenij exquisitissimi gloriam (quis enim hanc nobis invidet, aut detrahat?) per hanc acuminum, atque arguiarum illecebras, perque cætera ornamentorum lenocinia consequimur immortalem. Nos summam de eximijs intelligentiã nostrã dotibus existimationem colligimus. Nos in admirationem tam subilium sententiarum ex acutissima mentis nostrã acie emicantium universos rapimus. Audi ores. Si enim in laudativa S. Francisci Xaverij Oratione, aut Concione (ut fidem exemplo faciamus) omnia illum Apostoli amplissima munia implevisse, probandum esset præcipuè; quã ingeniosè, quã acutè prodigium illud memorabile, quum marinus cancer Christi è cruce pendentis sigillum de manibus Xaverij iniqua navis agitatione in mare lapsum, vel excussum ad eundem retulit, hoc splendido dicendi genere describeremus?



122. Devorata à maris efferati rabie Christi  
 Domini in crucem acti effigie, dat se in preces Xa-  
 verius, sacriq; naufragij sibi per quam lætuosi  
 exuvias, omnibus Oceani gemmis pretiosiores, at-  
 que cariores enixè petit, ac repetit. Vidisset subitò  
 Pontum ab imis revolutum sedibus, solito impo-  
 tentius fremere; nunc sese in altum tollere, nunc  
 in ima discedere, tonare undarum mugitu, cre-  
 brâ fluctuum procellâ horrendum stridere, ac ro-  
 boare. Tandem precum majore vi ad actum mare,  
 marinam Cancrum in Legatum legit, atque ad  
 sacram furto surreptam imaginem Xaverio red-  
 dendam, & perferendam mittit. Ibat felicissimus  
 ille cancer, tantâ officii amplitudine lætus, sed ip-  
 sa muneris causa atrox, & moestus. Quare ut  
 tristi legatione fungatur celerius, quid molitur?  
 citissimam se se fingit in navem. Hinc sinû, ven-  
 tremq; pro carina expandit: illinc acetabula, &  
 brachia producit in costas; à tergo caudâ in cla-  
 vum erigit; supra, cartilagine explicat in vela;  
 à latere pro remis chelas flectit, ac versat; in me-  
 dio crucis vexillum pro malo, antennâq; defigit:  
 triè gravi criminis saburatus pondere, afflantibus  
 ventum doloris suspiriis, mare ipsum frequen-  
 ti pinnarum remigeo in sceleris pœnam flagel-  
 lat. Nec mora, ad litus appellitur. Vbi, quum  
 sese praestolanti Francisco reum, maris nomi-  
 ne, sifteret, illico tam fœdi latrocinij rubore  
 purpurans, salum ipsum sine sale fuisse in atroci  
 adeo facinore perpetrando caussatus, mox tacito  
 strepens murmure, Oceanum exinde non tã un-  
 darum agitatione, quàm infandi piaculi flu-  
 ctuante conscientia inquietatum, ne quietis ulla  
 parte antea frui posse, quàm raptam egerat pra-



dam, per sanctè testatur. Non missos ab eo ad ex-  
 Hpiandum scelus uniones, quia lugubres omnes in  
 lacrymas verterit: non gemmas dono destinatas,  
 quòd piacularium guttarum imbre etiam nū gi-  
 ma sciat. Hinc tantum ad lapsum detestandum se  
 sanctorum pra reliquis aquatilibus maximè fuisse  
 excerptum, ut prapostero gressu aberrantis Ponti  
 crimen adumbraret. Venisse se ad subacti maris  
 tributum ei per solvendum; festinasse ad palmam  
 illi porrigendam quò sibi admissi veniam flagitijs  
 maturaret. Quà profectò mare ipsum non omni-  
 no indignum videri quod si furatum est, ac certè  
 pium furtum fecit. Nimirum Christum rapuit  
 ventis imperantem, ut frantum, quo tempestatis  
 coerceret, posset iniicere, pacemq; quã semper fore  
 caret, haberet aliquando. Olim vasto à Cæso Va-  
 tem lonã fuisse eromitum; nunc Christum ipsum  
 à mari eructari. Qui igitur illi à Xaverio diffici-  
 lè relaxetur scelus, cui Christum ipsum omnia la-  
 xantem scelera suis è chelis relaxaret? Irato igitur  
 paulo ante mari nunc doprecanti facilem te-  
 mitemq; Francisce, orabat, prabe: Indulge libens;  
 facessant mina: facessant ultio. Parce nocenti, Vasi-  
 cinor, ausculca. Orbem uniuersum, quum signa  
 omnia in cancerum concuenerint, conflagraturũ,  
 quondam prodidere sapientes. Ecco jam Christi  
 illud signum, Solem q; iustitia chelis suis cancer  
 tenet: hinc Orbis rotus, hinc vel frigida etiam  
 Oceani monstra ad Christi obsequium inflamma-  
 buntur. O fortunatum tali legatione cancerum,  
 ipsi etiam caelesti cancro nihil de dignitate conce-  
 dentem, & qui omnium aquatiliũ imperio pra-  
 ficiatur, planè dignissimum!

Hic

Seneca lib 3. Quæst. Natur. c. 29.



123. Hic enim verò exclamant adversarij,  
 sui assentatores, præconesque blandissimi;  
 quid hac narratione, *hypotyposi*, ac prosopo-  
 pejà ingeniosius? quid acutius? quid præstabi-  
 lius? Nonne ingenij copiam, lautamque sup-  
 pellestem, etiamsi persuasioni parum oppor-  
 tuna sit, luculenter ostendit? nonne hujusmo-  
 di acumina tam subtilia multo clariùs, quàm  
 omnes in Oceani litoribus micantes gemmæ,  
 ac margaritæ resplendent? an non tenues isti  
 sensiculi tam concinni, omnia argenti, auri-  
 que pretia facile, obscurant, & vincunt? Quid  
 tam confertæ sententiolæ; nonne ingenij glo-  
 riosissimas nundinas exprimunt, perennesque  
 intelligentiæ divitias repræsentant? Quid  
 unquam horum simile elaboravit M. Tullius?  
 Cedò nobis ejus volumina omnia, excute om-  
 nes pagellas, versus omnes diligenter per-  
 currite. Mentimur, inquit, si aspiciam ali-  
 quid, in quo ingenij monumentum tam præ-  
 clarum, quàm in expiã cancri legatione mo-  
 do spectatum est, extet, atque emineat, repe-  
 rias. Huc uni nostri ingenij fœtui nec inte-  
 gri, universique codices Ciceronis pares esse  
 possunt. Ejus quippe stylus, characterque di-  
 cendi nimis mollis est, nimis redundans, do-  
 ctrinæ expers, verbosus, ac languidus. Eadem  
 deinde morositate, quâ M. Tullium malè ac-  
 ceperunt, Scriptores alios ad Ciceronis nor-  
 mam stylum suum, artificiumque exigentes,  
 damnant, exagitant, exhibitant. quodque pla-  
 cato minùs stomacho dei, multoque minùs  
 ferri potest, ex istorum præclarâ disciplinâ  
 im-



imberbes, nescio, qui adolescentes (adolescentes autem hinc ego eos etiam facile appellaverim, qui literarum infantiam in senium usque, atque adeo ad eanos quoque ipsam candidioris nive, nunquam tamen ipsi inter eloquentia candidatos relati, laute educarunt) adolescentes, inquam, qui quanto minus pollent iudicio, tanto plus sibi sumunt audaciae; atque ut **C** mentum habent sine lanugine impubes, ita **D** vix pubescunt in literis; etsi vix Ciceronis volumina non una, non modica, non oscitante legenda, non carptim libanda, inspexerunt deliquando; nihilominus tanquam eloquentia dictatores illius stylum naso adunco suspendunt, & conspuunt; alij statim Romano foro interdicunt; alij inscientiae notam inurunt, alij **E** lum ut frigidum, ut vaniloquum, ut exsiccum traducunt; tum arrepta virgula censoria, si qui ad suam mentis importunam vertiginem minus fecerint, pro arbitratu statim explodunt. Denique in omnes antiquitatis Auctores iudicia exercent plena arrogantiae, plena invidentiae, plena temeritatis. Addunt deinde, ut suae causae, styloque patrocinentur, Cornelij Taciti auctoritatem, cuius clientelae, **F** & stylo quum se se nexu quodam manciparint, extra omnem aleam discriminis se positos autumant. Audent etiam, si Deo placet, Marcum ipsum Tullium, Fabiumque Quintilianum, tanquam subimet adversos suaeque ab eisdem defectionis suffragatores appingere. Ut vero in tanta acuminum, atque ornamentorum intemperantia sapere videantur



mediocritatem, L. Apuleij stylum severè ad-  
 admodum carpunt, diraque imprecatione de-  
 figunt. O jucunda somniantium visa! O le-  
 pidas garrientium fabulas! Audistisne paulò  
 ante, viri sapientissimi, non tam lugentis  
 maris descriptionem, quàm fœdissimam, ut  
 ego interpretor, judicij tempestatem, nec tam  
 cancri remigantis legationem, quàm miserum  
 ingenij præposteri naufragium; & tamen in-  
 genij prærogativam acuminum venditores  
 præstant, sibi que inexpiabili rapina audacis-  
 simè vendicant? Quid audio? vendicant? O  
 piratas inertes? O prædones ignavos! Verùm  
 quo sint isti ingenio, qui de suo ingenio hæc  
 portenta tam absurda non solum fateantur a-  
 peritè, sed gloriosè etiam profitentur, nemo  
 nostrum est, Auditores, ita nullo ingenio,  
 quin facilè recognoscat.

*Ingenij palma Adversarijs adimitur.*

124. **N**Ego itaque politulis hisce Decla-  
 matoribus ingenij palmam esse  
 concedendam; nego eostam operosa acumi-  
 num, vel ornamentorum molitione esse in-  
 geniosos; nego tales videri; nego tales dici  
 oportere. Hic ego, Auditores, etsi quàm  
 exiguo, tenuique sim ingenio, satis dispicio;  
 nisi tamen palàm, liquidoque, quàm denso isti  
 fuco ingenij sibi gloriam arrogant, demon-  
 stravero; volo planè, ut me vos omnes nullo  
 esse prorsus ingenio, aulla percipiendi vi,  
 nullo



nulloque omnino sensu arbitremini. Atque ut ab ea, quam eorum gratiâ attulimus, ingenij imagine ordiamur; memini me aliquando quodam in Templo, quum me D. Franciscus Xaverij aræ supplicem sisterem, facetum mihi hominem in cachinnos solum offendere, qui risus adeo intempestivi causâm ceteris admirantibus, atque rogantibus; quin, inquit, nullus unquam risus fuit tempestivus, Pictoris ergo summam stupiditatem, qui cancerum illum, quem vivum, natantemque, Christi Domini è Cruce pendentis sigillum Xaverio porrigentem finxit, minio tamen ruber

**A**tem, ac si in patellâ coctus, inassatusque purpuraret, in hac altaris tabula delineârit; non potui non summo opere ridere, atque ridere. Sed jure ne, an secus, ille tum riserit, atque irriserit, quam nonnulli marinum cancerum à reliquis hoc distare, quod ille vivus etiam ruber

**B**at, isti verò coloris rari di sint, opinentur, meo parum in præsentia interest, Auditores. At profectò non minus effuso risu Adversarij mei, pictores omnino imprudentissimi, merito sunt excipiendi, & salutandi, qui, quum tam compositâ prosopopeia cancerum illum spirantem, loquentemque, ne dum viventem, in Panegyrico fecerint, tam multo acuminum, sensiculatorumque minio eundem incrustârunt, ut illum in rancida perridiculæ affectationis, atque ambitionis patinâ fixisse videantur. Quàm multa enim in ea *hypotyposi* à proposito Concionis illius argumento, in qua omnia Apostoli munera à Xaverio impleta fuisse, docen-



docendum erat, aberrantia; quàm multa à  
 persuasionis sine, quod ultro fatentur, aliena;  
 quàm multa distorta; quàm multa falsa; quàm  
 multa malè inter se coherentia; quàm multa  
 incredibilia, sine ullo decore, ac frigida, non  
 sine gravi stomacho cernuntur, aut leguntur?  
 Jam verò hæc tam puerilia, ac nugatoria quàm  
 ingentem ruborem, pudoremque ingenii pig-  
 mentariis istis Oratoribus quàm sacris, quàm  
 profanis, si unquam sui perversitatem ingenii,  
 labesque iudicii erubescere didicissent, incute-  
 re deberent?

125. Est tamen aliquid, Auditores tam in  
 hac Xaverii prolopopœiâ, quàm in eâ Caroli  
 amplificatione, multò jam antea ad genium  
 Adversariorum fabricatâ, omnino melius,  
 quàm ab istis præstari possit, stylus videlicet  
 longè magis castigatus, purusque cui per  
 quàm rarò student, nunquam verò penitùs as-  
 suescunt. Quid enim argutiarum acuminum-  
 que phrygiones, ut, nescio quas, metaphoras,  
 allegorias, annominationes, antithera, senti-  
 culosque assuant, non audent? quid non com-  
 miniscuntur, ac novant? quas vocabulorum  
 sordes non everrunt? quem situm, algamque **A**  
 vetustatis non eradunt? quos surfares barbaræ **B**  
 elocutionis, tum recentium nominum, phra-  
 sumque in totius Latinitatis contumeliam  
 non ingerunt? His ergo tam invenustis venu-  
 statum indagatoribus de nostro Latinitatis  
 penu lecta verba, Romanaque vocabula, nec  
 non loquendi formas emendatas non semel,  
 semperque præcariò commodavimus. At hic  
 I non



non tam verba metimur, quàm res; non tam nomina, quàm sententias, nec tam Latinæ linguæ vitia, quàm veræ eloquentiæ corruptelas, quacunque demum in linguâ accidunt, cum sine persuasionis pugnantibus seriò vituperamus. Sed cum jocosis istis hominibus satis jocosè hæctenus. Nunc, ne quis Adversariorum Oratoris à me præstigiis se circumventum caufferi queat, totam hanc controversiam è Philosophiæ penetralibus accuratiore trutinâ expendamus, ac terminemus.

*Adversarii ingenio minimè præstant, quia finem, opusque levissimum, & facilissimum spectant.*

126. **Q**uilibet artifex sui excellentiam ingenii duplici, ut ita dicam, cote tandem, explorandamque præbet, ac probat: operis nempe, seu finis efficiendi difficultate, nobilique præstantiâ; tum instrumentorum, quibus opus ad eximium, atque arduum finem obtinendum conformatur, durâ, egregiâque molitione, ut Philosophi omnes, nullo penitus refragante, discernunt. Quippe si artifices primum ex ipsis, quæ moluntur, operibus, aut finibus, quos intuentur, mutuò contendamus: cur, quæso, pictoris ingenium ferrarii fabri antecellit ingenio, nisi quia expingendarum tabularum, quas pictor effigit, finis, atque opificium, longè difficilius, pulchriusque est, quàm ferrari, aut calcaris, quæ faber excudit, confectio?



Etio? Quod si rursus artifices solis ex instru-  
 mentis, quibus in pariendis operibus, finibus-  
 que utuntur, inspiciamus: cur ingenii dignita-  
 te pistorem aurifex vincit, nisi quod hujus tam  
 varia, multiplexque scalprorum suppellex &  
 laboriosius multo conflat, & multo hone-  
 stior est, quam rudis, atque ignobilis illius pa-  
 la? Jam ergo, quæ sint illinc Adversariorum, **B**  
 hinc nostrorum Oratorum opera, qui fines,  
 quæ instrumenta, videamus: ac prius ipsa ope-  
 ra, atque fines unâ conferamus. Quo, obsecro,  
 acuti isti Declamatores, quos ad fines, opera-  
 que ita mirifica, atque aspera suam omnem in-  
 dultriam referunt? Expromant, quæ sint egre-  
 gia illa, & salebrosa ingeniorum opificia, enu-  
 cleent universa. Illi, ni me fallit opinio, nec  
 certè fallit, huc tendunt omnes, atque hoc u-  
 num meditantur, Auditores, ut summam affe-  
 rant oblectationem, admirabilisque laudem  
 ingenii oblectando consequantur. Aures blan-  
 do verborum murmure titillare student im- **C**  
 pensè. Quid levius? hoc & phorasi præstant  
 jucundius. Curiositatem Auditorum alere con-  
 tendunt, quid scurrilius? alunt & præstigia-  
 tores. Plausum nituntur captare, quid pro-  
 clivius? captant & comædi. Rumusculos  
 gloriolæ serere discipiunt, quid inanius? se- **D**  
 runt & choraulæ. Risum parant excutere,  
 quid inhonestius? excutiunt & mimi. Hila-  
 ritate volunt perfundere, quid delicatius?  
 Exhilarant & citharædi. Demum, ut dicam **E**  
 verbo, jucunditate conantur demulcere, quid  
 effeminatius? Demulcent etiam circula-  
 tores.



tores. Hæc igitur tota istorum moles est illa  
operosa, hæc tota provincia perdifficilis, &  
consularis, hæc gravissima omnium expedi-  
tio plus quàm Troiana. Sed quid ego loquor,  
aut jacor de operis istorum præstantiâ, aut  
difficultate? Illine finem præstantem, cla-  
rumve opus sibi ob oculos ponunt? quid, ro-  
go, indignius, aut turpius, quàm voluptatem  
tanquam finem ab ingenuo homine gravi-  
sima Oratoris, Concionatorisve officia susti-  
nente quæritari? Et quem alium finem faru-  
moriones, Gnathones, ac parasiti, fœda gula  
mancipia, quàm voluptatem sibi constituunt?  
In quo abjectissimi artifices, & vilissima qua-  
que capita maximè desudant, omni nemque in-  
dustriam adhibent, nisi in unâ solâque ob-  
lectatione eliciendâ? Quid quòd in isto ob-  
lectandi munere herbam tot aliis voluptati-  
architectis porrigere coguntur? Quis enim  
illecebi osius oblectat, unguentatus Orator in  
suggestu, an scurra de trivio in tabernâ; hi-  
strio in scenâ, circumforaneus pharmacopola  
in foro, cupidinarius, & caupo in popina?  
**I** Quis nescit aures, oculos, nares, palatumque  
pellaci hujusmodi voluptate, quæ hisce ex ar-  
tibus hauritur, adeo duci, rapique, ut præter  
voluptarium Declamatorem tota concio illi  
co neglectura sit, ac relictura? Adde quoque  
tantum humilem esse, atque abjectam; sed  
quod longe capitalius est, omnium etiam scelerum  
procreatricem, atque altricem. Nolo id eg-  
plur



pluribus persequi, sed aurea tantum Architzæ  
Tarentini verba in hanc ipsam sententiam,  
quam urgeo, conformata à M. Tullio, apud  
quem ille differit, sat habeo in præsens mutua-  
ri. Nullam (inquit) capitaliorem pestem, quam  
corporis voluptatem hominibus esse datam. Hinc  
patria prodisiones, hinc rerum publicarum ever-  
siones, hinc cum omnibus clandestina colloquia  
nascuntur. Nullum denique scelus, nullum faci-  
nus esse, ad quod suscipiendum non libido volup-  
tatis impellat. Stupra verò, adulteria, & omne  
tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi  
voluptatis. Quumque mente nihil sit præstabi-  
lius à Deo datum, huic divino muneri nihil esse  
tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim  
libidine dominante, temperantia locum esse, nec  
omnino in voluptatis regno virtutem posse con-  
sistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere  
jubebat animo quempiam maximam voluptate  
incitatum: nemini censebat fore dubium, quin  
tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente,  
nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset.  
Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pe-  
stiferum, quam voluptatem. Si quidem ea quum  
major esset, atque longinquior, omne animi hu-  
men extingueret.

127. Videant ergo Adversarii mei, dum ob-  
lectationem tam sollicitè venantur, quam me-  
reantur laudem, quod factorum, Gnathonum,  
coquerum, mimorum, aliorumque id genus,  
nobis scilicet artificum, confinia si non  
pervadentes omnino, ac ceterè perstringentes,  
in eorundem etiam ordinem, tanquam studio,  
In Catone de Senectute. I 3 atque



atque consilio iisdem prope suppare, ferè redigantur. Videant, quid dignitatis lucrari possint, quòd uni oblectationis genio cum istis eisdem quasi palæstræ commilitonibus tam strenuis perditissimè ancillentur. Videant, quæ possit eos gloria illustrare, quòd in oblectationem flagitiorum omnium cubile, toti impotenter adeo ferantur. Præclarum sanè genus hominum, qui suorum conatum metam nullam aliam cernunt, quàm voluptatem: & tamen de ingenii prærogativâ, quòd hanc ipsam voluptatem tantopere studeant conflare, audent gloriari. O monstra! Illine hoc nomine ingeniosi, quòd totos se oblectationi gignendæ devoveant, habebuntur? o somnia! Nonne ingenii excellentia ex propositi finis, operisve difficultate, ut explanavimus, metienda est? quid ergo habet tam ardui, atque asperi hæc voluptatis eblandiendæ procuratio? In aurium demulcendarum munere quid, rogo, inest tam duri, atque incluctabilis? Solam istarum illecebrarum inventonem, quàm operosa sit, satis mihi hoc loco est explorare, Audaiores. Quàm enim exiguus quoque labor in his ipsis argutiolis non solum inveniendis, sed etiam disponendis sit, paulò infra faxo, videant, atque in viti cum dolore agnoscant Adversarii. Nimirum verborum fucum ad sensus titillandos illinere, de singulis vocibus ire in consilium, exoticas elocutionis formulas putidè adspere negotium, credo, erit multi operis, atque obedi. Arduum profectò accidet solerti viro, ingenium paululum scalpere, atque ex eo acumi-

num



num illam scabiem evocare. Onus utique æt-  
 nâ gravius, duo paria antithetorum copulare.  
 Labor omnino Hercules, de mentis æstuan-  
 tis, ut ita dicam, tripode nonnullos ebullien-  
 tes fuculos despumare. Quod si in hac procu-  
 randi finis provinciâ, hoc est, in afflandâ vo-  
 luptate difficultatis aut nihil, aut parum ad-  
 modum reperitur: quo pacto Adversarii lau-  
 dem ingenii nobilem, ne dum lauream, ab o-  
 peris finisve perdifficili molitione, quæ nulla  
 ferme est, accessere queunt, aut sperare?

*Adversarii non excellunt ingenio, quia Oratio-  
 num instrumenta persuasionis fini adipif-  
 cendo inepta fabricantur.*

128. **S**ed agite, jam alteram ingenii pericli-  
 standi cotem, instrumentorum nempe  
 coagmeatandorum præstantiorem, laborio-  
 sioremque facultatem admoveamus. Quippe  
 in omni instrumento rerum inter se aptè di-  
 stributarum quum ordo, tum elegantia, & dif-  
 ficultas, non tantum ipsiusmet instrumenti per-  
 fectionem, verum etiam artificis quoque inge-  
 nium, qui idem instrumentum confecit, eo no-  
 bilitus indicat, atque ostendit, quo ordo ille &  
 venustior, & operosior, & mirabilior est. Por-  
 rō in quovis instrumento duplex spectari po-  
 test ordo, alter, qui ex ejusdem conformatione  
 suum ad opus, finemve extraneum, ad quem  
 adornatur, consequendum accommodatâ emi-  
 car; alter, qui ex singularum ejusdem instru-



menti partium concinnâ dispositione existit.

129. Iam si primò de ordine priùs loquetur philosophari, quis nescit tanto unumquodque instrumentum esse melius, tantoque clarius ab eo sui artificis sagax, acutumque probati ingenium, quanto ad finem eminentiorem, difficilioremque, in quem destinatur, comparandum politius elaboratum est? Nisi forte molles isti Declamatores parem ingenii dignitatem, ac deus esse contendant, penicillum scire compingere, pictorique ad pingendum suppeditare; ac peniculum non ad pingendum, sed ad pictoris officinam verrendam temerè, perturbateque colligare. Haud secus omnium quoque Oratorum sagacissimus ille existimatur, palmamque aufert ingenii, qui Orationis instrumentum tam affabre torquet, ut ad proprium finem, amplissimum sine dubio, atque operosissimum extorquendum (quem jam supra persuasionem esse Auditorum revicimus) per quam appositum sit: contra verò eorum omnium, qui dicunt, infantissimus iudicandus, atque Oratorum ex albo delendus; tum mentis acie quadam præpingui obstipus meritò etiam reputandus est, qui ita suas fundit, dolatque Orationes, ut eæ ab illo egregio, arduoque persuasionis sine roto cælo discedant. Quod si ita est, Auditores; conjicite jam, quæso, vestros oculos in istorum Orationes, easque ad hanc primam instrumenti, atque ingenii pertentandi regulam exigite, & mentiar, nisi lis omnis de ingenio vel in hujus contentionis vestibulo penitus sublata est. Quum  
enim



enim jam pridem Adversarii longâ disputatio-  
 ne à me adacti, Orationes ad magnum, durum-  
 que persuasionis finem exprimendum ineptas  
 ab se elucubrari, ingenuè tandem concesserint:  
 quid ultra laboramus, aut quærimus? an  
 non unâ quoque vel reluctantes, aut certè im-  
 prudentes, spes omnes suas de ingenii laureâ  
 decerpendam accisas esse, atque everfas concesserunt?  
 Si enim non ingeniosus, sed stupidi ingenii  
 artifex censetur, qui instrumentum ad e-  
 gregium, difficilemque finem obtinendum, ineptum  
 construit: Adversarii mei non erubescēt  
 fateri suas Orationes non solum spectatissimo  
 & laboriosissimo persuasionis fini nihil opitu-  
 lari, sed plurimum etiam incommodare; & ni-  
 hilominus de ingenii prærogativâ mentionem  
 facient? Adeone spissis intelligentiæ tenebris  
 erunt involuti, ut quum ad persuadendum vim  
 nullam asferre queant; omnem simul cum hoc  
 ingenii stupore laudem se prodegisse, & perdi-  
 disse non videant? Et quæ ingenii species, quæ  
 umbra ad eos pertinere potest, qui ita ingenio-  
 si sunt, ut quum Orationem sublimi, arduoque  
 persuasionis fini extendendo idoneas, in quo  
 summa ingenii laus posita est, à se consilari non  
 posse, palam fateantur, ingenii tamen palmam  
 adhuc inaniter ambiant?

*Imbecillitas ingenii Adversariorum  
 magis ostenditur.*

130. Sed placet meorum Adversariorum in-  
 genii imbecillitatem ex hac maxime

15

per-



persuasionis corruptelâ manantem paulò curiosius adhuc introspicere. Qui enim in brevi paucarum horarum, imò vix mille passuum itinere molli, & complanato subito defatigaretur, valdè, opinor, de tanto suorum pedum robore gloriari posset: & qui in editiorem paulò sublarus speculam, oculos sibi, caputque in orbem rapi sentiret, magnam scilicet præ se ferret oculorum, capitisque firmitatem. Thraciæ populos \* quod præ memoriæ debilitate supra quaternarium numerum pergere numerando nequeant, bardos omnino, ac fungos in numero utique sapientum isti collocabunt. An tu cursorem velocissimum pronuntiabis, qui nullum usquam recto gradu movet vestigium? qui in voragine incidit? qui incertis semper pedibus errabundus vagatur? qui nec recta incedit, nec rectus potest insistere? Imò verò tanquam varum, varium, claudumque exsibilabis. Tunc sano eum capite, integroque iudicio dicas, qui crudo semper stomacho ructus tantum sonat? qui crapulam identidem evomit? qui lapsa bundo semper gressu, atque in ruinam prono, intransversum perpetuò reciprocatur, qui capitis vertiginem in pedes usque demittit? qui portenta loquitur? qui vigilans monstruosè somniat? Quin lurconem potius, ebriumque vini mancipium asseverabis. Tunc oculis illum lyncis censeas, qui in meridianâ luce caligat? cui sudor cælo, nube semper pupilla obducitur? qui nihil longè positum valet intueri? cui semper tabe oculi exeduntur? cui omnia recta obliqua, etiam extra aquam videntur? qui omnia

\* *Aristoteles l. 15. Problem. 167. 3.*



distorta cernit rectissima? Et hunc tu Argum  
 innumeris, ut est in fabulâ, oculatum lumini-  
 bus, officioso Poëtarum mendacio arbitra-  
 ris? Imò verò lippum, luscum, cæcum, & oculis **E**  
 vespertilionem, talpaque magis orbatum jura-  
 bis. Nunc quæro ab Adversariis meis tam in-  
 geniosis, quid causæ sit, cur in brevi Oratio-  
 nis cursu à re propositâ inculcandâ eorum in-  
 genium tam subito frangatur ac delasserur? **F**  
 cur nunquam ultra causam urgendo progre-  
 diantur? quid acuminum similitudines simili-  
 tudinibus in eodem rationis vestigio semper  
 agglutinent? Eia pergite. Novum aliquod ar-  
 gumentum promite, gradum aliquem confir-  
 mationis adjungite. Quorsum ad eundem la-  
 pidem pigerrimi viatores, imò inertissimi Ora-  
 tores continenter sessitantes concolores sem-  
 per, pariumque planè vitium sententias appin-  
 gitis? Ingenii imbecillitas vos remoratur, fat-  
 scio: nullus, nullus latebræ locus est? proditi es-  
 stis? tenemini. Cur in præaltam amplificatio-  
 nis turrim gradum facere vetamini? cur recto  
 quæstionis tramite relicto, huc atque illuc te-  
 merè reptantes, in avia semper à fine persua-  
 dendî, semper in dissentanea, in peregrina sem-  
 per abrepti, in nugarum levidêsas stylum sem-  
 per impingitis? Cur restâ, nervosè persuaden-  
 do, nunquam insistentis? Cur ad amussim ultra  
 nunquam iuceditis? nempe vano, ac desul-  
 o-rio ingenio prohibemini. Cur in gravi Con-  
 cione argutias, sales, lepôres, & piperata dicta  
 contra officium benè morati hominis eructa-  
 tis? Cur capitis quasi circumacti turbine, in-



putidorum sensiculorum orbem luditis? cur in mensam honestissimæ Auditorum coronæ acumina indigesta, cruda, & malè cocta exoneratis. ne dicam, vomitis? nimirum esuritionis vino appoti non leviter, ingenio minimè sobrio æstuatis. Cur in fabricandâ Oratione, quæ sit cujusque argumenti vis, non dispicitis? cur, quæ sit recta persuadendi norma, non observatis? cur, quis sit omnium rationum color, non interno scitis? cur, quid excipere auditor possit, quid retorquere adversarius, quid reclamare iudex, non providetis? Cur totius ordinem, seriemque Concionis in ipsomet principio non animadvertitis? Cur, quæ in prospectu tantummodo sunt, oculisque subiecta, consideratis; remotiora verò, aut tanillo disjuncta intervallo negligitis? Cur ultra quatuor, ut sic dicam, acumina, mentis aciem non porrigitis? cur quando torquenda enthymemata, quando mores interponendi, quando affectus miscendi, non attenditis? Scilicet obliuioso, & tenebricoso caligatis ingenio. Quum igitur acuti isti Declamatores in Orationum, Concionumque instrumentis ad finem persuasionis inveniendum, persequendumque aptandis ita mentes defatigentur, nutent, labascant, claudicent, cæcutiant; quantâ ingenii tenuitate, quantâ solertiæ imbecillitate vacillare, necesse est.



*Inopia ingenii Aduersariorum.*

231 **M**agna est istorum imbecillitas ingenii, Auditores, magna profectio; sed longè major inopia. An enim qui adulterinos solent numos percutere, dum quantum argenti, aurique demunt, tantundem æris, aut stanni sufficiunt, diuitiarum vim, copiamve commoneat adulterio ostendunt? imò summæ egestatis angustias non obscurè significant. Nam **A** homines de plebe, capite censi, ad incitas redacti, urbis quisquiliæ, in fures, inopiâ sollicitante, transcripti, æs pro auro, pro argento stannum per bellam ludificationem conantur distrahere; ac licet se certum ad laqueum, atque interitum suo artificio destinari, rapique intelligant; rei tamen familiaris pressi mendicitate, pecunias ante inficere corrumpere que non desinunt, quàm è peribulo, & cruce ritè pependent. **B** **C** **D** Quid hic muginari, quid hiscere aureæ adulteri eloquentiæ audebunt? Quam enim Oratio tota ex argento, atque auro solidorum argumentorum conflanda sit; cur tam ingenti aureorum argumentorum pondere subducto, tantum illi æris, stannique, hoc est, plumbeorum acuminum, sensiculorum, argutiarumque subijciunt? Præ summâ ingenii paupertate: Cur, ubi ad confirmandam quæstionem argenteum unum argumentum cuderunt, aliaque rursus & alia item argentea; mox aurea, & aurea semper melioris notæ enthymemata fundenda erant; illi contra, ac præposterè æro-



**E**rum bracteas acuminum non tam metalli,  
**F**quàm sui interitamenta ingenii perversè sup-  
 ponunt? ut eos cuncti, ingenii inopiã vexari re-  
 cognoscant. Ingenii verè divitis, verè magni,  
 ac regii est, firmum ubique argumentum, ar-  
 gentum puta, atque aurum, non inanium acu-  
 minum, sed validarum rationum, quæ Audito-  
 rum non aures tantùm demulceant, sed ani-  
 mos quoque devinciant, liberaliter spargere.  
 At ingenii vestri arida, & sterilis vena, tam præ-  
 tiosi metalli nihil solita dare, pro aureis ratio-  
 nibus ærea acumina, stanneasque argutias ad  
 sui extremam egestatem testandam suppedi-  
 tat. Unum tamen est, quod ego vos, eloquen-  
 tiæ corruptores, in præsens amicè monere vo-  
 lo. Magnum profectò vos, Orationum, Con-  
 cionumque eversores manet supplicium, Elo-  
 quentiæ adulteria dediscite aliquando, alioqui  
 inexplicabilis probri laqueus, bustumque per-  
**G**enne dedecoris vestro huic imminet ingenio,  
 atque artificio.

132. Verùm in tantã ingenii egestate non  
 deerit, credo, vel obolo conductus Patronus  
 aliquis, qui inopiæ dedecus ab ingeniosis  
 istis hominibus nitatur arcere. An ingenii  
 putabis inopiam, vociferabitur usque ad ra-  
 vim, tam multas, tam spissas, tam elegantes  
 quacunquè de re infarcire sententias? Inge-  
 nii tenuioris supellex erit, tantam acuminum  
 segetem, tantam gratiarum varietatem, ran-  
 tam sensiculorum copiam omni prope modum  
 versu prodigere? Imò verò ingenii opulen-  
 tissimi summæ divitiæ sunt, summa fecun-  
 ditas,



ditas. Ingenii curta res erit, erit egestas to- A  
 tam Orationem pretiosis argutiarum gem-  
 mis in crustare, lepōrum carbunculis inter-  
 pungere, aureis venerum phaleris convestire?  
 Quid? an non ingenii gloria, ac palma totā  
 hac disputatione nobis vel à te ipso, dicent,  
 videtur esse ultro concessa? At, velint nolint,  
 Adversarii mei ingenio depauperato sunt, &  
 vel hoc ipsum intemperantiæ acuminum pa-  
 trocinium intemptivum, in magnā est ege- B  
 state sollertiæ. Doceant enim, quæso, me  
 subtiles adeo Declamatores (lubet enim ali-  
 quid à tam ingeniosis viris discere) quid sit  
 hoc, quo tantopere exultant, ingenium? Si  
 Aristotele Philosophorum omnium ingenio-  
 sissimo ingeniosiores haberi nolunt, neque  
 ejusdem placitum aspernantur; sollertia, sive  
 ingenium, ut ille definit, nihil aliud est, quàm  
 argumenti, quod ab eo medium appellatur,  
 celerrimo intelligentiæ molimine excogita-  
 tio. \* Quæro jam ego hoc loco, ut aliquis in  
 ordinem ingeniosorum cooptetur, satis ac  
 est, ut multa, licet toto disiuncta cælo, inve-  
 niat, ac proferat? Nullo modo. Nam & fu-  
 riosi, amentesque rerum novarum, atque ab-  
 ditarum vim infinitam profundunt; & vino  
 paulò hilarius indulgentes, proximique ebris  
 loquentiā nulli invident Oratoris eloquen- C  
 tiæ; & circulatores de trivio, ac præstigiato-  
 res magnum ubique historiarum, fabularum,  
 disteriorum, & faceriarum manipulum ex-  
 pliciant; & tamen eorum nemo, si sapientum  
 judi-

\* Lib. 1. Poster. cap. ultimo.



judicio credimus, hoc nomine supra plebeia se se effert ingenia. Quam, obsecro, ob causam? cur? quia ut aliquis ingenii prærogativa donetur, haud satis est, multa ab eo, quantum velocissimè, inveniri, ait Aristoteles; sed necesse præterea est, ut quæveniuntur, media sint argumenta: media autem argumenta esse non possunt, nisi ad consequendum finem aptè librentur; quum media idcirco dicantur, non solum quia utrique propositionis extremo veluti media interjiciuntur, sed etiam quia velut accommodata, notaque instrumenta ad conclusionem ignotam extrahendam in lucem assumuntur. Neque est, cur quis hanc rerum certo quadrantium fini subitam excogitationem judicio potius, quam ingenio ad scribendam pertendat. Siquidem ut judicium reliquis Rhetoricæ partibus admixtum ferè est, in dispositione autem maximè dominatur; ita tota inventio, quanta quanta est, solius ingenii planè foetus & proles est; neque hæc ingeniosa, nisi quæ sunt excogitata, cum fine, cujus gratiâ excogitata sunt, concinant, dici jure potest. Non sunt igitur furiosi, amentes, ebrii, circulatores, & similes, et si pleræque inveniant citissimè, ingeniosi; quia temerè ea promunt, nullique consentanea fini præcipitanter effundunt. Nisi fortè illam ipsam ingenii dotem qualemcunque, quam vilia ista capita sibi vendicant, huc quoque pertinere ea propter censeant, quòd illas omnes, quas garrunt, nugæ ad oblectationis finem, quem proximè captant, obtinendum, apposi-



tè admodum architectentur : in quo ego eis non invitus facilè subscripserim, quum tanto magis hinc compertum maneat, palmarem ingenii excellentiam tum egregiè spectari, quum omnia, quæ de suo artifex profert, ad finem molli brachio exterebrandum bellissimè consentiunt.

D

133. Haud tamen satis est, ut ingenii laude portaris, momento inventa argumenta certum ad finem convenienter adornare: sed opus insuper est, ut finis ille, quem ea respiciunt, eximius sit, atque arduus, suæque præstantiam in ipsum quoque instrumentum sibi famulans, additumque trajiciat: quum finis scilicet eminentia, & difficultas, cujusque instrumenti quæque elegantiam, dignitatem, atque absolutectionem metiatur. Neque enim si quis coquinariam ligulam ad spumam ex ferventibus lebetibus deradendam, aut flabellum ad vultum aurâ ventilandum, aut muscarium ad muscas abigendas quàm ocysimè inveniat, præclari ingenii nomine commendabitur. Cur verò? quòd licèt is instrumenta suis idonea finibus properè elaboraverit? fines tamen ipsi, nempe spumæ detractio, vultus ventilatio, muscarum depulsio paratè difficiles non sint, neque prænobiles, sed cuivis in promptu, abjecti, leves, humiles, ac plebei. Undè apertè etiam liquet, neque circulatoribus, aliisque id genus hominibus perfacetis, etsi cuncta, quæ volubili linguâ edisserunt, in unum voluptatis finem proximè referunt, ingenium esse valde exquisitum; quum hujusmodi finis adeo

vilis

A  
B  
C



vilis, obuius, ac minime laboriosus sit.

134. Quare facile hinc quoque conficitur, si quis artis conspicuæ insigni, operosoque fine repudiato, alium sibi finem adscititium, atque præposterum, quam despectum, tum proclivem, temerè, & perversè fingat, substituaturque, quamvis deteriori huic fini instrumenta congruenter excudat, tantum nihilominus sibi eum de ingenii excellentiâ deterrere; quanto præposterus finis, ac despicatus germani, rectique finis perfectione humilior est. Nam si quis Imperatoris acinacem, quo tot sibi victorias, gloriamque peperit immortalem, in lignum, aut bipalium, ad terram vulnèrandam, fodiendamque convertat; si regium paludamentum ex purpurâ in frusta discerpat, atque ad sordes ab equorum pedibus detergendas adhibeat; si Virgilianum poema ad involucria scambrorum, rhomborumque fabricanda dilaceret; in magnamne existimationem, ac famam apud omnes abibit? Nihil minus. Quippe ubi ante gladio, militari scilicet instrumento belli victoria; tanquam in clypeus finis, erat proposita; chlamys ad Regis ornamentum, dignitatemque tuendam destinabatur; Æneis Maroniana ad Heroicarum virtutum imitationem suo pte nutu potissimum referebatur; perturbatis, commutatisque splendidis hisce finibus in sordidos, atque obscuros, bellicæ nimirum victoriæ substituta rusticana terræ fossione; regio ornamento in mulonicum equorum ministerium abjecto; Heroicæ imitationis vices fallamentorum operimento occupante;

cul



cui illico, subductis rationibus, perspectum non sit, ex ista finium perturbatione, & corruptelâ nihil emicare posse ingenii, aut solertiae; sed istorum unumquemque artificum; ex gladio ligonem; ex regiâ chlamyde centunculos, & scruta, ex Virgilianâ Æneide cucullos & involucra formantem: tanto obtusiore, stupidioreque esse ingenio; quanto & ligo gladio; & centunculus chlamydi; & papyraceum involucrum Maroniano operi concedit, longeque impar; imò nulla propemodum ratione conferendum est; quantoque item dignitatis intervallo terræ fossionem belli victoria; detractioem sordium regius ornatus; gari, pisciumque tegumenta divinum poema à tergo relinquit?

135. Sed operæ pretium est, Auditores, horologium, miri artificii instrumentum, è ferro, chaybeque conflatum, in quo tanquam in speculo veritatem hanc dilucidius intueamini, vestris oculis accurata inspectione lustrandum subijcere. In ejusmodi machinamento dentatæ aliquot rotæ, striato axis verticillo interjecto, mutuo commissæ, & fæderatæ, gravibusque suspensæ ponderibus, in orbem sensim sine sensu volvuntur. Ferrea in medio columella, subtili hærens filo, tenuique laminâ transversâ in capite intersecta, atque exemplibus plumbeis glandibus hinc atque illinc ex eâ pendentibus librata, totius moderatrix temporis, in subjectos orbes incidit; binisque ligulis in eorum dentes, quasi frænis, ex intervallo injectis, rotas in gyrum raptas, descri-  
ptâ

E  
F

G

A

B

C



ptâ ad numerum morâ , in singula penè momenta sustinet , & relaxat. Tandem ubi princeps tota penitus circumvoluta est , cavam in crenam decide sufflamine , libramenis ad terram festinato decursu recellentibus , illico solvitur in arena , malleumque versatilem incitato verbere intinnabulum ex ære campano solum impellit ; quotque ictus malleus instigit , tot idem horas tundendo designat. Hoc instrumentum ad dimetienda temporum spatia excogitatum , tot in rotas , ac ferram cetera graphicè descriptum , magnum , sagaxque artificis , qui id fabricavit , ingenium insignitè demonstrat. Cur autem ? quia singula ejus ferramenta ad finem horarum partiendarum eminentem , atque arduum scitè facta , & limata sunt. Si quis ergo , quò ingenii palmam talis horologii artificis præriperet , tot illis orbibus , rotisque minime contentus , alias insuper ex argento , vel auro rotas vellet adungere ; si multos præterea stylos ferreos variè pictos interponeret ; si orbis singulos minutiores in dentes secaret ; si nihil ferme è ferro toleraret , sed omnia propè ex auro supponeret ; si argenteos capreolos in florum speciem , ad elegantiam passim infereret ; arbitramini vos , quæso. Auditores , num priorem illum artificem ingenii gloriâ antecelleret ? num tam spissâ rotarum , stylorum , capreolorumque additâ suppellectile , solertius ullum specimen , aut vestigium ederet ? Tantum abest , ut sollers is dicendus esset , ut potius , tanquam importunus ardelio , tanquam sine ingenio stolidus æmulator , aut potius



invidus ingenii primo ex artifice egregiè emi-  
 cantis evertor ridendus crederetur. At enim  
 multa ex auro, vel argento valde delicata,  
 valde subtilia, pretiosa valdè ex integro appin-  
 xit, multos alios ex chalybe stylos adstruxit;  
 multa alia ornamenta ex obryzo apposuit. **H**  
 Nihil refert, quin hoc ipsum plurimum obeest,  
 nam tota ea confusa, atque intempestivæ su-  
 pellestilis, licet tã elaborata, pretiosaq; acces-  
 sio universum corrumpit horologium, omnes  
 orbium motus tã bene temperatos perturbat,  
 totum opus, ne horas amplius metiri possit,  
 moratur, præpedit, opprimit. An igitur tam ad-  
 mirando opere perturbando, pervertendoque  
 ullam sibi ingenii commendationem pariet,  
 aut conciliabit? Quin potius summum dedecus  
 quòd finem temporis dimetiendi pulcherri-  
 mum in putidam, insanamque auri, atque ar-  
 genti ostentationem, inconsultã permutatio-  
 ne traduxerit. Quare stolidè ambitiosus hu-  
 jusmodi artifex, etiamsi tam multa vel auro **I**  
 obducta, vel tota aurea proferat, ac superad-  
 dat? quoties hæc prænobilem, operosumque fi-  
 nem, alioquodam abjectiore sine substituto vi-  
 tiant, aut amoliuntur, infante nihilo secius in-  
 genio, ac bardo est. Earum enim in horologio **R**  
 rotarum symmetria tanta est, tamque accu-  
 rata, & præcisa singularum functionum vicis-  
 sim sibi respondentium concinnitas, tam certæ  
 stabilesque leges, ut non rotam ullam, non sty-  
 lum, et si formatum ex auro, iisdem in mune-  
 ribus addi patiantur; aut si per imprudentem  
 & puerilem ingenu ostentationem ab aliquo  
 alio



alio superaddantur artifice ; derepente de singulari horologii artificio , usu, ac fine adunpenitus sit, & inconsiderati artificis hebes, stupidumque ingenium unà pelluceat. Quare supervacanea illa tam densi, absurdique ornatum adjunctio , non locupletis copia ingenii est, sed, quemadmodum dicere institueram paulo ante, ingens fortunis omnibus afflicti inopia.

**A** 136. Jam quid hujus index horologii potendat, Adversarii mei , qui tam acuto sunt ingenio, facile, reor, divinabunt, Auditores. Vos horologium Orationis suas in partes, tanquam in rotas, argumentorum circumactas ponderibus distributæ , quæ ad animorum persuasionem , veluti ad horarum distinctionem, in Auditorum animis affectuum malleis inculcandam conformata est, quasi parum ornatum, aut minus ingeniosum despicitis. Ut verò ingeniosiores videamini, quid consilii capitis ? rationum machinas subducitis, morum affectuumque stylos ferreos aufertis , eorumque loco innumera levissimorum acuminum impedimenta passim intruditis, vel si rationum machinas non detrahitis , illas creberrimis argutiarum bracteolis , densis scommatum lac mellis, venerum, lepòrum, gratiarumque cadellis, fibulis, ac dentibus illigatis, infarcitis, oneratis. Num igitur hac argumentorum, atque affectuum infutilia nugamenta perversâ traiectione, aut tanto argutiarum rationes ipsas incredibiliter delumbantium luxu ingenii vobis palmam asseritis ? Avertat omen Deus. Quia hæc ipsa illecebrarum intemperantia, illa



illa illa est, quæ Orationem, quò minùs in orbem persuasionis ferri queat, sufflaminat, a- **E**  
 liumque finem extraneum, inanem, ac nugatorium immodicæ oblectationis, putidæque ostentationis, proprio, in isto, præcipuoque persuasionis sine perdifficili, ac sublimi neglecto, temerè arcessit, ingerit, obtrudit. Tanta quippe argumentorum in Oratione ad persuadendum distributorum harmonia est, concentus inter se tam aptus, dispositio tam artificiosa; ut si ad ingenii celebritatem mendicandam istarum amœnitatum redundantiam obruatur, finis persuasionis, opus nimirum, ut paulò post docebo, maximum, extemplo fit conclamatus, atque ejusmodi Orationum, Concionumve architecto stupidi cujusdam, ac delirantis ingenii nota turpissima inuratur. Potrò illa tanta non verorum acuminum, aut ornamentorum, sed speciem dumtaxat, ac larvam consimilis ornatus gerentium, confusa farrago, vel in lineam etiam redacta, non tam aurei ingenii, opulentique, quàm ærei, atque egeneri, ut liquet, exploratum indicium est, testatumque chirographum. **F**

137. Quare Audi ores prudentissimi, quum Adversarii tantâ ingenii imbecillitate, atque inopiâ laborent, nocte mirari, si forrè aliquam eis ingenii gloriolam inter disceptandum hætenus visus sum indulgere. Nam quum huic de ingenio controversiæ profligandæ nondum esset locus; ne veritatis tela subdola declinatione illi malitiosius ludificarentur, vel stomachabundi muginarentur aliquid quam ego **A**



ego eis ingenij non gloriam, sed umbram concedendam putavi. At ingenij sollertis, acuti, vereque divitis solidam laudem nunquam attribui, sed merum fucum, motumque simulacrum. Sic enim interpretor, sic censeo, Auditores, exuberantes in corpore humores causam esse ipsissimam ægræ valetudinis: optimam verò valetudinem in humorum omnium media temperataque ratione sitam esse, quam qui pervertat, sanitatem quoque necessariò evertere. Multa in homine scabies, humorum quidem vitiorum redundantia est; at sanitatis inopia. Capilli, unguumque præsegmina ab humorum adipata cõpia proficiunt; sed corporis excrementa sunt, ac fordes. Qui binis nascuntur capitibus, vel senis in manu digitis, materiæ vim multam secum afferunt sine dubio; sed hæc humorum ejectione sunt, naturæque portenta. At quorsum ista? Ut non obscure innuam, sapientissimi Antistites, spissam sanè acuminum nubem à politulis Declamatoribus effundunt; sed hæc omnia plerunque nihil aliud esse, quàm immodicos in corpore Orationis humores, ejusdem Orationis sanitatem penitus corrumpentes. Optima enim valetudo Orationis in argumentorum, affectuum, motumque persuasioni congruentium, nec non in ornamentorum apposita moderatione constituta est. Fac jam eam multa sensiculo sum intemperantia lascivire: quid inde, rogo, nisi ingenij quædam scabies, aut intelligentiæ præsegmina emanabunt? Hujus verò præij solertiam, atque

inge-



ingenium Adversariis nunquam ego detraxi,  
 neque invidendum duxi. Ingenii speciem  
 dumtaxat, quod verum esset ingenium, igno-  
 rantibus, tum commentitiâ falsis ingenii si-  
 militudine, non invitus permisi. Nôstis enim  
 opinor, Auditores, C. Cæsarem quum in-  
 gruentibus undiq; sicariis quæreretur ad ne-  
 cem, \* in mare se se dejicientem, relicto â  
 tergo in fluctibus pæludamento; hostibusque  
 imagine deceptis, illud pro Cæsare accipien-  
 tibus, spiculisque inani prorsus conatu laces-  
 sentibus, sospitem ad peninsulam Pharon  
 feliciter enatasse. Eadem omnino vos ludi-  
 bria deludunt, o ingenii miseri, miserandique  
 ostentatores. Acuminum ceruissam, sensicu-  
 lorum minium, argutiaram sales magni opus  
 ingenii exillimatis. Nugæ, logi, bullæ,  
 somnia. Luditis illusi, intemperis æstuatis.  
 Non ita est. Ingenii umbræ tantummodo  
 ista sunt, larvata dumtaxat imago, non soli-  
 da forma, aut genuina proles. Nam (ur egre-  
 giè docet Quintilianus) \* prima est eloquen-  
 tiæ virtus perspicuitas, & quo quisque ingenio  
 minus valet, hoc se magis attollere & dilatare  
 conatur: ut staturâ breves in digitos eriguntur,  
 & plerumque infirmi minantur. Nam tumidos,  
 & corruptos, & tinnulos, & quocumque alio ca-  
 zælia genere peccantes, certum habeo non vi-  
 rium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora  
 non robore, sed valetudine inflantur.

K

Scitè

a Florus lib. 4. cap. 2.

b Lib. 2. cap. 3.



*Sciti Ordinis admirabilitatem maximi  
ingenii esse testem.*

138. **S**ed jam satis, superque, quam ab-  
ad perluadendū instrumenta Orationum cur-  
dant Adversarii, quo de periculo prioris me-  
loco exoptulaturum pollicitus antea sum,  
planum feci, Patres amplissimi.

139. Nunc ad alterum illum partium om-  
nium ordinem in ipsomet instrumento mirè  
inter se conspirantium, sagacis, promptique  
ingenii certam pariter tesseram, explicandum,  
orationem converto. Ignotum Protagoræ  
servi ingenium, quum multam Dominus  
farmentorum vim, soluto fasce temerè disse-  
ctam, atque confusam eum colligere iussisset,  
ipseque statim in eundem planè fascis ordinè  
commodè redegit, sollers Democritus acur-  
tissimum apprehendit. \* Ita profus nihil est  
in omni arte, & facultate, quod artificis ma-  
gis commonstret ingenium, quam rerum sin-  
gularium concinnus ordo, ac symmetria.  
Volubilem enim illam Archimedis spheram,  
quæ vos, tot in circulos, minores, majores,  
maximosq; descriptam, tot in orbes tributâ,  
tam variis discretam figuris intuemini. Illam  
**A** aquas in partes æquatore divisam, obversis  
**B** hinc atque illinc verticibus, axe intercurrente,  
**C** suspensam, orbe finiente intersectam in me-  
**D** dio, transversâ Zonâ, vèlut fasciâ circumve-  
rtitam

*Gellius lib. 5. cap. 3.*



stitam contemplamini. Illam labentis cœli circuitus æmulari; illam errantium siderum cursum referre; illam pares, imparesque planetarum motus exprimere; illam Solis, ac Lunæ vices reddere animadvertite. Quem nostri tanta orbiculorum multitudo, tam recte composita ordine, tam certis terminata finibus, tam justis librata momentis, admiratione non impleat? Cui adeo imperito tantarum partium congeries, sibi ubique tam pulchrè consentiens, ingeniosi artificis perspicacæ mentem non expingat?

140. Sed age à cœli simulacro, quod in spherâ visitur, in cœlum ipsum oculos tollamus. Quid sibi volunt tam magnæ, lucentesq; moles? quid tot orbium statæ, ac perennes conversiones? quid indefatigata tot orbiculorum munera? quid æternis devinctæ legibus stellæ, in ortum, atque occasum perpetuo commeantes? Cernitis micantium astrorum agmina in tot decuriata manipulos? cernitis tot scintillantium luminum globos tam diversis, sed bellè cohærentibus figuris inclusos? cernitis mediam subter regionem à duce, ac moderatore reliquorum luminum sole occupari? cernitis tanti Regis assecclas, & comites; supra, Martem, Jovem, Saturnû; infra, Venerem, Mercurium, Lunamque unâ circumagi? cernitis eundem Solem cotidianis veluti itineris castris diei, & noctis confinia signantem, anni que spatia quatuor in partes ex æquo secantem? cernitis nocturnæ Lunæ faciem accessionibus, damnisq; semper



variabilem, semperque proximæ dissimilem,  
 luce lucentem aliena? Cernitis planetarum  
 C errabundos, simulque ratos discursus, diversis  
 circumvolutos mæandris, præcipitiq; Mundo  
 in adversum semper nitentes?

141. Linquamus Cælum, atque hæc infera  
 perlustremus. Quid Terra quibusdam quasi  
 redimita fasciis, hinc pruinâ obsita, illinc  
 A Solis æstu torrida; hinc vasto circumlusa ma-  
 ri, immobilis, imaq; sede jacens, tum medium  
 Mundi locum complexa ostendit? quid eadem  
 Terra cû Aquâ; Aqua cû Aere; Aer cum Igne;  
 Ignis cum Æthere mutuo cõnexi fœdere pa-  
 ciscuntur? quid perpetuis præliis quatuor  
 rerum initiase se vicissim petunt, darâna in-  
 ferunt, ac resarciunt, concordique discordiâ  
 mirè dissentiendo, mirabilius semper con-  
 sentiunt? quid de multiplicibus Terræ ani-  
 mantibus disseram? quid de plantis, quid de  
 arboribus, quid de metallis, quid de lapillis,  
 quid de sexcentis aliis prodigiis enuntiem?  
 De homine tantum, cætera interim prudens,  
 lubensque dissimulans, pauca delibabo. Quid  
 in perexiguo isto Mundo, quemadmodum  
 eum appellaverunt Sapientes, tot membrorû  
 varietates tam aptè conglutinat? quid tam  
 multa muscutorum officia tam præcisè distin-  
 guit? quid tot venarum cocuntium fluxiones  
 distinet, ac disperdit? quid tot nervos mutuo  
 implexos tantâ affinitate constringit? quid  
 tot ossa tam varia, tam exilia, tam contraria;  
 magna, subtilia, crassa, rotunda, plana, tam  
 eleganter committit? quid tot humorum  
 secum



se cum perpetuò digladiantium rixas, tumultus, seditiones frænat, atque compefcit? quid denique in angustissimo humani corporis compendio totius Orbis molem vastissimam complectitur? Quid, inquam est, quod in Sphærâ, in Cælo, in Homine, in Mundo universo hæc opera tam adspectabilia perficit, nisi admirabilis ordo, partiumque omnium pulcherrima dispositio?

142. Hic igitur tantarum rerum summâ etiâ cû varietate adeo stabilis ordo: hæc Cæli, laminumque exporrecta scena; hæc elementorum tam consentanea discrepantia; hæc humani corporis tam sollers cõformatio; hæc Orbis demum totius tam inexplicabilis distributio, quid nobis, cordati Auditores, designat? quid explicat? An non artificis alicujus, qui hæc omnia architectatus est, ingenium summopere commendat? An humani tantum alicujus ædificatoris, vel structoris sollertiam delineat? Inò verò ingenium aliquod acre, vividum, acutum, humano omnino majus, & quavis acie nostrâ intelligendi, infinito etiam intervallo, perfectius primo ferè aspectu, omnibus ponit ob oculos. Ipsum ipsum divini molitoris divinum ingenium, ipsam Dei ineffabilem sapientiam, quæ tam admirandas moles fabricata est, tamque affabre temperavit, hæc ordinis adeo præclari divinis notata coloribus monumenta planissimis vocibus eloquuntur. Usque eò nimirum potens, divinaque res est ordo egregius, Auditores; ut etiam si cætera deessent argumeta,



hic unus solusq; supremum aliquod Numen,  
& Deum extare, tamque vastæ Orbis univer-  
sitati præsidere firmissimè convinceret. Neq;  
enim in ullius sanam mentem cadere om-  
nino potest, hanc ordinis dispositionisque  
incomparabilem seriem, atque excellentiam  
ullo alio ab ingenio, quam à Divino,  
excogitari unquam, concinnarique po-  
tuisse.

143. Sed quam ob causam, Auditores, splé-  
didus ordo ingeniosi artificis haud fallax in-  
dex est? Nempe, quòd sicut nihil venustius,  
ita nihil magis arduum sit, quàm exi-  
mium ordinem componere. Nam ut con-  
fusè, perturbateque pleraque moveamus,  
supervacanea est omnis industria. Scili-  
cet milites, ut palantes discurrant, Im-  
peratoris ductu indigent; ut pueri incon-  
ditè vociferentur, phonasci, reor, ma-  
gisterium requirunt; ut lateres temerè in acer-  
vum projiciamus, architectus nempe con-  
sulendus est. At verò quæ nobilem poscunt  
ordinem, nonnisi multà operà, molestiaque  
obstetrice pariuntur. Agricoltæ sanè suas  
casas, incultaque mapalia, stabulis similiora,  
quàm ædibus, sine podio, sine contignatio-  
nibus, sine scalis, opere tumultuario, paucis  
diebus, ne dicam, horis, facilè extruunt. At  
enim ut magnificētissimi Templi excites mo-  
lem; ut tam vastos tholi fornices suspendas;  
ut tam varios columnarum ordines dirigas;  
ut tot quadratas pilas erigas; ut tot ædificati  
tanque



tamq; diverso ornamentorum genere expoliti  
 parietes, mutuò sibi respondeant, ut unius  
 columnæ tam multas partes, stereobatè, H  
 spiram, epistylum, scapum, torum, striam, I  
 volutamq; aptè exsculpas, quantum sudoris K  
 priùs exhauriendum? quoties sub onere fati-  
 scendum est? Ut verò prægrandes, vilesque L  
 faccos, aut carbasa consuas, haud necesse est, M  
 diu antea in aliquo consenuisse gynæcto. At N  
 ut cujusque rei imaginem, viridantem puta  
 camporum planitiem, umbrosos vallium re-  
 cessus, onustas fructibus arbores, ridentium  
 flores pratorum, animantium omnes effigies  
 ita acur pingas in telâ itaque exprimas, ut ars  
 vicissè naturam videatur, quàm duri conatùs  
 est, quàm spinosi artificii? Quid? ut una acus,  
 tanquam radius, per tot stamina tenue filûtra  
 mamve tam distinctâ texturâ ducat, redu-  
 catq; ut repentè quosdam ex telâ enatos  
 homines, aut modò pisces, jam caneros, nunc  
 aves, vel quòdvis monstrum exiliissè credas;  
 quàm infatigabilis patientiæ est, quàm lon-  
 gi, asperique laboris? Ut parietes ex eâdem  
 fideiâ plures dealbes; etiam quum primò P  
 peniculum sumis in manum, nullo negotio  
 præstabis. Verùm ut hominum vultus deli-  
 nees in tabula; ut colores tam varios scienter  
 confundas, recteque secernas; ut unumquen-  
 que cum alio suaviter temperes; ut umbras  
 scitè cuique corporis eminentiæ affingas; ut  
 quæ sub oculis sunt, longinqua similes; ut  
 longinqua in proximo statuas; ut in cavo  
 plana metiaris, in plano rotunda, in rotundo  
 directa,



directa, in recto obliqua, in arcto ampla, in æquo prærupta ad umbres; denique, ut sollerti penicillo, quæcunque arrident, bellè ordinateque representes, hic enim verò diu multumq; hærendum, ac morandum est, Auditores:

Rudia marmora etiam agrestes viri, bajulique facile convehunt. Colores fricare norunt vel quirones picturæ. Multam liciorum vim circa panni frustum glomerare, impuberes etiam, imò vix quinquennes puellæ extèplo discunt.

R At fila, colores, lapides in ordinem beluati S peristromatis, elegantis tabulæ, vel amplissimi palatii redigere, quantæ industriæ, quantæ exercitationis, quot quantorumque mensium, vel annorum opificium est? Summa igitur difficultas, summusque labor exquisiti ordinis in quâque arte statuendi cruciat artifices.

144. Neq; id profectò mirum. Quippe si difficilius est cum duobus, pluribusve paris omnino roboris lætari, quàm cum uno, ut reverà est: qui ordinem negligit, cum uno tantum pugnare videtur, imò cù nullo. nihil enim iste cogitatione, aut consilio providet; non est, cur mentem in has, aut illas partes verset; nò illi, ut tam dissidentia sæpè membra componat, laborandum est. At qui ordinem ubique sectatur, non cum unâ dumtaxat difficultate, sed cum multis, & magnis congregitur. Prius integrum opus, omnesq; ejus particulas toto animo comprehendit; deinde frequenti obtutu singularum vim, proprietates, impedimenta, situm, figuras, projecturas, convenientiam, ac discrepantiam metitur, seduloq; expen-



expendit; tum ingenii summo nisu ordinatim cuncta distribuit, graphiceq; conformat. Quare quum præcellentis ordinis conferendi tanta sit difficultas; nihiloq; minor, quam jam conferti concinnitas; mirâ profectio ingenii, à quo ejusmodi ordo descriptus est, præstantiam arguit; tantoque magis, aut minus illius, à quo manavit, profectioem aperit; quanto magis minusve idem & pulcher, & compositus difficilis est. Ergo quum Stellarum, Cali, Elementorū, Corporis humani, Orbisq; universi ordo tam nobilis, atque elegans, tam supra omnem mortalis intelligentiæ captum, juxtaq; ita fallax sit, ut nullâ procreata potentia virtute illum institui potuissè, omnibus facile prospectum sit; quilibet naturæ informatum lumine, subductis secum rationibus, statim efficit, sibi que persuadet, ad tantam remoliendam, atque absolvendam divino prorsus ingenio, atque potentia opus fuisse. Quæ sanè ordinis eximii summa vis; Auditores, non primores tantum nostræ religionis sapientes, omnesq; antiquitatis verendos Patres, ad unum Deum hinc exploratissimâ ratione colligendam excitavit; verum etiam quoscunque alicujus nominis Philosophos, naturæ dumtaxat nutu tacitè admonitos, ut ex Mundi tam sollerte dispositione supremum ali-quod Numen mentemq; potissimè deprehenderent, ac venerarentur, evocavit.



*Ostenditur jam Adversarios ab ingenio esse ho-  
stitutos, quia in dicendo carent ordine,  
ac temerè omnia con-  
fundunt.*

145. **Q**Uum igitur tanta ordinis excellentia sit, tam laboriosa molitio, atque perfectio; quinque inter ordinem, Dei que sapientiam tanta intercedat necessitudo, ut plane ubicunque splendet ordo, nescio quid divinitatis cuivis homini afflari videatur; quis jam inficiari potest, eam quoque Orationem, in qua singularum partium, atque membrorum ordo & collocatio enatescit, ingenij admodum perspicacis indubiã tessera esse obsignatam, contra verò in qua vix ullum ordinis aut distributionis apparet vestigium, **B**ebetis, ac veterinosi Oratoris speciem dare? Quocirca Auditores, si neque dum Adversarij mei, quam imbecillo, inopeq; sint ingenio, sibi ex animo persuaserunt, agite, inspiciamus modò paulo curiosius, quã dispositione tandem, quo ordine Orationes ipsi suas, quas sui ingenij ceterorum omnium apices longè superantis indices certissimos jactant, architectentur. Ego verò, ut quod res est, fatear, què ordinem inanium acuminum, atq; ornamentorum patroni amare queant, aut consecrari, qui cuncta Orationis decora extraordinaria esse volunt, anxieque rimantur, quò nimirum supra reliquorum ingeniorum ordinem ingeniosiores habeantur, nondum assequi possum, aut intelligere.



146. Lustrate enim, quæso vos, oculis, Auditores, nisi grave est, in prægrandi aliquâ caveâ, opere reticulato, ex ferreo pertextâ filo, A  
 cujuscmodi plures in Dynastarum viridarijs B  
 persæpe visuntur, omnium generum aves, a- C  
 canthides, galgulos, ardeas, palumbos, att- D  
 genes, turdos, alaudas, turtures, aliasque sex-  
 centas. Hæ libero volatu, in quancunque par-  
 tem illas aura invitaverit, sine ullo ordine, si-  
 ne ulla lege feruntur. Illæ in ortum pergunt,  
 istæ in occasum festinant: aliæ in Boream ten-  
 dunt, in Austrum aliæ traijciunt, è terra quæ-  
 dam in altum saliunt, multæ de ramis arbuf-  
 cularum inibi consitarum in aream desiliunt.  
 Uno verbo, quâ cuique temeritas & casus vi-  
 am aperit, singulæ volant, ac revolant. Quæ  
 autem adeo discrepant in volatu, nihilo con-  
 cinnius in cantu consentiunt. Audias illic si-  
 mul cacabare perdices, frigulare graculos, pi- E  
 pilare passerès, pupillare pavones, incondi- F  
 tumque sonum, & murmur à cunctis non tam  
 profundi, quàm permisceri.

147. Jam si ego hujuscmodi caveas omni avi-  
 um genere refertas, ab Adversariorum meo-  
 rum Orationibus quovis gratiarum, leporum,  
 argutarumq; quasi volatili animante tumul-  
 tuantibus repræsentar, ut merito eas totidem  
 planè ornithonas, seu aviaria possis appella- A  
 re, non docuero, equidem, quàm simile ovo B  
 ovum sit, proi sus ignoro. Nimirum per isto-  
 rum declamationes, quas Orationis, vel Con- C  
 cionis infucant nomine, omnis generis acu-  
 mina, sensiculi que discurrunt. Nam quâ eos  
 K. 6 glo-



gloriose captanda libido sollicitat, ultro citroque; sursum ac deorsum, ante, retro; dextrorsum, sinistrorsum, in obliquum, ex adverso, in contrarium rapiuntur. Quid mirum? quum nullum, ut vidimus, finem eximium habeant constitutum, neque eximio fini adspiscendo congruentia fingant instrumenta; nullum videlicet etiam ordinem eximium queunt digerere: sed quum in sui prædicatione ingenii, Auditorumque; voluptate exprimenda toti sint, quotiescunque eos aliqua argutiola, aut facetiæ enitenda prurigo titillat, sive eum re concinat, sive ei officiat, sive proposito cohæreat, sive ab eo dissentiat, nihil pensi habent; sed quasi uterâ ferrent mulieres foetæ, impotenter illam subito pariunt, nec si quæ levissimæ sententiolæ se se offerant, atque importunissimè ingerant, quicquam morantur, utque eas inserant, à quæstione in prærupta, atque avia perpetuò abducuntur. Quod si sententias alioqui graves, & majestatis plenas habeant præ manibus, videas illico istas ab eis hac ingenii ostentandi cupidine abreptis, frequentium jocorum luxu elevari, perturbari, exinaniri. Ubi enim res moesta est, planeque; funebris, eam risu dissolvunt, ubi materia frons severitate caperatur, styli lasciviâ remittunt; ubi lacrymæ ex ipso argumento eientur, & cadunt, fabellis aspergunt, ac prohibent; ubi in arctum rationibus compellendus Auditor, salibus, ut elabatur, operâ dant; ubi veritatis investiganda cubilia, fuce cuncta oblinunt, ac tegunt. Neque unquam isti hunc ludum



ludum desinunt ludere, ut nihil, nisi insolens  
 valde sit, probent, omnia licet extra circulum  
 diffusa, temere invehant: hinc vero in sum- **D**  
 mos audacia ramos tolluntur; hinc infra de-  
 corum humi repunt; jam ab ortu exordii in  
 occasum perorationis sermonem præcipi-  
 tant; modo à meridie confirmationis in sep-  
 tentrionem intempestivæ digressionis pere-  
 grinantur. Eadem quoque ingenii venditandæ  
 cupiditate incensi, velut de mentis potestate  
 dejecti, suos illos lepores, acuminumque pi-  
 gmenta exordione, an confirmationi; narra-  
 tioni, an epilogo quadrent, non attendunt.  
 Narrationis propria perorationi relinquunt:  
 perorationi accommodata anticipant in ex-  
 ordio; exordiis dicata addiunt confirmatio-  
 ni. Hæc ipsa oblectandi effrænata libido ipsos  
 argumentorum pondus trutinari non sinit;  
 quæ primâ sede, quæ alterâ, quæ deinceps,  
 quæ postremâ sint collocanda, nunquam pati-  
 tur cogitare; singulas partes committere cum  
 singulis, singulasque cum omnibus inconsultè  
 permiscere ferè compellit. Dummodo enim  
 intra Orationis caveam tot illæ argutiarum  
 inquietæ volucres contineantur, quamvis ca-  
 su semper agitata, ubique fluctuent, satis ordi-  
 ne instructas arbitrâtur. Proinde sive jam fen-  
 sicutis cum perdicibus cacabent; sive argutiis  
 jam cum passeribus pipilent, sive scommatis  
 jam cum graculis frigulent, sive jocis jam cum  
 pavonibus pupillent; sive salibus jam cum aliis  
 avibus singuliant, insignem satis in dicendo  
 ordinem à se institui, servarique existimant.

K. 7.

At.



at in tam palante acuminum levissimorum volatu, absonoque stridore quæ ordinis semita reapse, quæ orbita extare potest?

148. Sed quid ego ordinis elegantiam in meorum Adversariorum Orationibus requiro? Erravi, Auditores, fateor, valdeque allucinatus sum, qui ordinem ullum ab istis exegerim, eosque tanquam ordinis prævaricatores reprehenderim. Quippe quum eorum acuminatam scita, ac blanda per se delectent singula, neque aliunde pendeant, neque cum alijs cohæreant, aut cum cæteris Orationis partibus magnâ aliqua affinitate socientur; nullam scilicet ab illis servandi ordinis curam postulant, nullam illis dispositionis turbandæ religionem injciunt; sed liberum omnino campum, ut quaquaversum vagè, saltuatimque discurrant, patefaciunt. Si quis enim Imperator, educto exercitu, nullum gerendi belli consilium agitare, verum sese dumtaxat cum aliqua aliorum oblectatione cuperet ostentare; quæ ordinis constituendi sollicitudo eum tangeret? quæ lex admoneret? quæ necessitas cogeret? Nulla. Nam licet aciem ita dissiparet, ut non in cuneos, non in quadrum, non in longum, non in manipulos partiretur; non in cornua, aut alas diduceret; sed quâ cuique liberet, omnibus sedem daret: ignavissimos in centuriones legeret; tardos, stupidosque in prætoriam cohortem referret, meticulosos, vel furentes in Legatos, aut Tribunos sibi adjungeret, nihilo minus întegro sui sine consilij, potiretur. Haud aliter quoque



acuminum isti factores, sui ostentationem ingenij unâ cum puerili nonnullorum Auditorum iucunditate expetentes; quanvis in Orationis centuriones non firmas ratiocinationes, sed leues annominationes scribant, in Legatos, Tribunosque non prævalida argumenta, sed infusa scommata designent; in prætoriam cohortem non inexpugnabilem amplificationem, sed fütilem descriptionem coagmentent; enthymemata non in cuneum centurient, nec dilemmata in cornua dividant, sed in nugarum fascem compingant: nihilo seciüs voto fruuntur suo, seseque cum aurium aliquâ titillatione venditabunt. Quid quod nullus ferè Imperatorum exercitum sine aliquo ordine, ne quidem quum non præliandi, sed potius ostentandi, vel alios recreandi gratiâ ludibundus exit in aciem, educit? Quanto igitur graviüs, ac scædiüs delinquant Adversarij, qui ne in causis quidem serijs, ac magnis ordinem ullum cordi habent?

149. Verum hæc piacula neglecti in disponenda Oratione ordinis, eo sunt, Auditores, graviora, quo alia complura ex his infelici fœtura profeminantur. Vos enim appello, acuminum elegantissimi phrygiones. Quantam in Oratione obscuritatem ac tenebras veltro illo sensiculorum nimbo, pro perspicuitate offunditis? quantam satietatem consimiles semper paresque sententias ad fastidium cumulando procreatis? quantam, quamve putidam in verborum lenocinijs, & calamistris affectationem ostenditis? Vos nihil penitus

edu-



enucleatis, sed omnia singulaque levissime perfringitis. Vos etiam attentionem Auditoris perenni argutiarum turbâ, ut fusè jam supra explanavi, profus obruitis.

150. At quid, obsecro, pronius, Auditores, quid expeditius, quàm hujusmodi Orationes tam malè compactas, tam fœdè perturbatas, tam ignavè, atque insipienter dissolutas fundere? quid proclivius, quàm longum sensucolorum funem continuo tractu ducere, gominæque ac paria acuminâ tam in principio, quàm in progressu, aut in fine proseminare? quid promptius, quàm ex æquo tam à mediis, vel ab extremis; quàm à primis exordiri posse? aut confirmare non secus à primis, quàm à primis exordiri? aut confirmare non secus à primis, quàm ab ultimis? aut perorare non minùs à mediis, quàm à disjunctis? quid magis ad manum, quàm ejusmodi tornare Concionem, in quâ exordium nihil ferè à narratione differat, narratio à confirmatione, aut ab epilogo vix internoscatur? quid minùs arduum, quàm in exordio narrationem, confirmationem, & perorationem, omni prope modum sublato discrimine, cogere; rursum in peroratione exordium item, narrationem, & confirmationem miscere: in confirmatione demum reliquas omnes partes unâ conglobare? At enim incredibilia sunt, dicent, hæc corrupti ordinis portenta, quæ criminariis. Itane verò incredibilia? Orationem sanè quâdam in partes utcunque tribuunt Adversarii. Sed quas tandem in partes? quibus officiis, finibus-



nibusque distinctas? nullis, nisi solo nomine. Nam exordii quidem, narrationis, confirmationis, & perorationis appellationes in speciem retinent, non abnuo: at quum argumenta, sententias, affectus, omnemque dicendi apparatus cuiusque partis proprium in quamcunque aliam temerè transferant, vicissimque nulla religione, nullà prope discrepantiâ intempestivè, atque absurdè commutent, ecquis ab illis singulas cum omnibus, rursusque omnes cum singulis perperam confundi jure optimo non vitio vertat, ac rideat?

151. Quare, quum Adversarii mei Orationes hoc tantum nomine extraordinarias, quòd sine ullo ordine illas non tam elaborant, quàm profligant; non tam ornant, quàm denormant, temerè consuunt, simulque dissuunt, **A** quam ingenii famam hinc aut gloriam, nisi inertis, aut hebetis queunt præstolari? Docui igitur, quod hujus disceptationis initio promiseram, acutos istos Oratores, atque Concionatores ingenii laude frustrari; tum quia ad vanum, atque inglorium oblectationis, plaususque excitandi, finem insano studio feruntur; tum quia Orationum, Concionumve instrumenta nulli inelyto fini comparando idonea constant; tum quia hæc eadem instrumenta nullo inter se ordine aptata deformant potius, quàm formant.

*Adver.*



*Adversariorum tela ad ingenii lauream  
extorquendam emissa, facile omnia  
repulsa.*

152 **S**ed antequàm à festivis istis orna-  
sumentorum patronis ad Tullianos di-  
vertam, ad singula, quæ excusserunt, spicula,  
quanquam obruta omnia, jam scutum oppo-  
no, Auditores. Cornelium Tacitum primò,  
cognatique viros ingenii homines peracuti  
appellârunt. Quid audio? Tacitum au-  
dent commemorare? De Oratorio differen-  
tes stylo, ab istius Annalibus dicendi formam  
arcessunt? ô ingenii admirabilitatem! Fal-  
lor. Dicam ex animo. ô iudicii importuni-  
tatem! Mirro de Historiæ ejus fide haud se-  
mel improbis corruptâ mendacis queri. De  
stylo loquor, cui ut Latinitatem ipse ego non  
detraho, ita nonnullis poeticam licentiam  
adeo frequenter audaciâ vincere visus est,  
ut quò poetarum confidentissimus ultra pro-  
gredi queat, vix sanè reperiant. At licet  
ejusmodi stylus qualiscunque in Historico to-  
lerari possit; quanto adhuc intervallo, quàm  
longinquo figurarum, numerorum, senten-  
tiarum, ac periodorum tractu ab Oratorio,  
vel Concionali dicendi caractere disjunctus  
est? Verùm L. Apuleio infensi sunt. Iterum  
prudentiam hominum notate, & ridete. Nam  
si Apuleius (quanquam Latini sermonis au-  
ctor, si parçè, & cum grano salis eo utaris  
in tempore, non omnino aspernandus) eâ  
styli contagione depravatus est, si ludicrâ  
illâ,



illâ, ac nugivendâ elocutione delectatus est, A  
 haud absurdè penitus deliquit, neque insipienter  
 omnino desipuit. Nempe eo in opere, de aureo scilicet  
 Asino nihil cum persuasione habebat negotii, lepidas  
 tantùm fabellas pangebat, omniaque jocis, ac  
 salibus nitebatur implere. In re ludicrâ, & ridiculâ  
 versabatur. Quid igitur piaculi est, si & ludicrum,  
 & ridiculum stylum commodissimè adamavit? Eundem  
 Apuleium in duplici Apologiâ pro seipso perorantem  
 inspiciate, ac de subito aliam, longeque modestiorem  
 dicendi formam internoscetis. Scilicet & ille, quanquam  
 non vir, sed viri spectrum; licet rudenti, quàm loquenti,  
 ut eum non nemo traducit, propior; vidit tamen, vidit,  
 quid inter nugas, & gravem causam; quid inter ridicula,  
 & luctum; quid inter jocos, seriamque persuadendi  
 efficacitatem interesset. Denique Adversarii mei M. Tullii  
 Ciceronis, & Fabii Quintilianii testimoniis se muniverunt,  
 tantisque defensi patronis, extra omnem sine dubio  
 aleam se tutos existimant. At ab iisdem Adversarius  
 quaro. Patronos hujusmodi, num ex animo advocârunt?  
 Si per jocum, remitto hoc illis, patiorque eos id agere,  
 quod semper agunt, ut vel in rebus tristissimis, atque  
 gravissimis levissimè jocentur. Sin audent in sententiâ  
 persistere; quâ tandem fronte? quo ore? quis enim  
 severiùs, quàm Cicero, & Quintilianus has ab Oratione  
 eloquentiæ, stylique intemperias recidit? Uterque quidem  
 accommodatas sententias, atque in loco  
 quum

orna-  
os di-  
icula,  
oppo-  
rimo,  
acuti  
au-  
eren-  
mam  
Fal-  
tami-  
d fe-  
De  
non  
otiam  
s est,  
pro-  
licet  
o to-  
quàm  
nten-  
orio,  
ntus  
erum  
Nam  
s au-  
taris  
eâ  
dicrâ  
illâ,





quum argutias, tum acumina commendavit, atque usurpavit. At quoties cavent, quoties monent, quoties inculcant Orationem hanc parcè frequentandam esse, non immodicè infarciendam; distinguendam, non opprimendam; illuminandam, non obscurandam. Quid? omnes dicendi magistri quotquot in hodiernum usque diem vixerunt, an non hoc idem præceptum, decretumque semper observârunt, explicârunt, tradiderunt? Hæc ad hujus disputationis exuperantiam; etsi ad rem quam potissimè urgeo, qui non Latino sermone, stylove patrocinoꝝ, sed germanæ eloquentiæ corruptelas, quacunque in lingua contingant, exagito, minimè necessaria.

*Regia eloquentia candidati, atque clientes at-  
tecellunt ingenio, quia persuasionis opus,  
seu finem difficillimum, ac no-  
bilissimum spe-  
ctant.*

153 **E** Reptâ jam Adversariis meis extant  
multiplici capite ingenii palmâ,  
reliquum est, Auditores, ut hanc ipsam veram  
eloquentiæ asseclis Oratoribus, quâ sacris,  
quâ profanis solidè asseramus. Atque ut ill-  
dem vestigiis, quibus sollertiæ principatum  
ambitione affectantes in fugam paulo ante  
conjecimus, insistamus: quem primò sibi  
finem, aut opus Tullianæ dicendi formæ, hoc  
est, incorruptæ, fori, templorumque domina  
alumni



alumni Oratores præstitunt? omnium diffi-  
 cillimum, ac splendidissimum, ad animos  
 scilicet persuasione molliendos atque expu-  
 gnandos aptè dicere. Quàm enim arduum,  
 quàm eximium est, hominem acerrimè repu-  
 gnantem nutu rapere, quò velis; ad iram ac-  
 cendere; mox flectere ad misericordiam? spem  
 ejus desperatione incidere, audaciam timore  
 compescere, odium amore commutare, reci-  
 procos cupiditatum fluctus sistere, ac movere?  
 Quantum laboris, quanta seges gloriæ est,  
 stabile pectus in utramque partem versare;  
 nunc gaudio, nunc mœrore alternare, æstu-  
 antes mentis procellas tranquillare, tran-  
 quillam malaciam perturbare, perturbatam  
 componere? Quanta contentionis, quanta  
 laudis, remissos, inertes, stupidosque viros  
 inflammare dicendo, præfervidos & præci-  
 pites sustinere? Quàm durum, simulque  
 præclarum, habenas tenere populorum, con-  
 silia altis infixæ præcordiis extirpare? mores  
 naturæ prorsus agnatos ab imis fibris extra-  
 here? opiniones diuturnâ pervicaciâ agglu-  
 tinatas rationum cuneis divellere? liberrimâ  
 illam voluntatem, quæ neque auro, neque  
 ferro, si se tueri velit, obvia est, ad liberam  
 sui deditonem non arietibus, nec catapultis,  
 sed orationis impressione; non ex mobilibus  
 turribus, sed de rostris, & pulpitis; non stri-  
 ctis, intentatisq; mucronibus, sed stylo com-  
 pellere, momentis rationum adducere, volun-  
 tariis catenis pertrahere?

§ 4. Verùm hæc ipsa animi persuasionem de-  
 bellandi



bellandi asperitas, & decus quantum præter  
 rea augetur, si in homine præter infortes, in-  
 fanosque naturæ tumultus virtuti oblectan-  
 tes, externas quoque Mundi hujus illecebras,  
 sociorum flagitiosa exempla, facinorum op-  
 portunitates, sexcentos vitiorum seopulos  
 honestæ vitæ impetum vehementissimè re-  
 tardantes adjungamus? quid si Dæmonum  
 effratam tyrannidem, vim incredibilem,  
 exercitam nequitiam, dolos, insidias, summum  
 in homines odium, infinitum eorundem in  
 suo regno, hoc est, in durissimâ servitute reti-  
 nendorum studium, & contentionem adde-  
 mus? Et quos jam humeros, licet gigantes  
 tam immane persuadendi onus adversus eos  
 tantosque hostes non frangat? Porro quum  
 sacris in Concionibus idem sæpe sit Auditor,  
 & Judex, & Reus; quàm erit salebrosam, ho-  
 mines suorum criminum judices, non ad  
 pœnas de aliis, quod longè proclivius est, ex-  
 petendas incendere; sed in seipsos, tanquam  
 in fontes plectendo incitare; in suorum ani-  
 madversionem scelerum adigere; sui perditè  
 amantes in sui infensos hostes sanctissimè  
 traducere? Sed est adhuc aliquid longè ope-  
 rosius in hac persuadendi provinciâ, longèque  
 etiam admirabilius. Nam hætenus explicatæ  
 difficultates unum tantum hominem, ut facile  
 observastis, prudentissimi Patres, obsident.  
 Jam si unum dumtaxat hominem de propriâ  
 dejectum sententiâ in sui potestatem dicendo  
 redigere tanta molis est: cogitate vos modò,  
 viri sapientissimi, Concionatorem non cum



uno solum unius ingenii homine, sed cum tot agminibus, cum tam conferta virorum, ac feminarum turba, cum integro populo, effraeni, impotenti, sine capite, tam diverso, tam vario, factioso, atque precipiti indictum habere certamen. Aspicite lubricam illam, versatilemque multitudinis excetram, quam facer A Orator subigere debet pugnando; illam, quæ verbis obfessa, semper, quæ elabatur, invenies; illam, quæ nunquam dimicanti cedit; illam, quæ cadit omnino nunquam, vel si cadit, etiã prostrata impavido adhuc ore præliatur.

155. Quum igitur persuadendi munus tam præstabile sit, atque arduum, videant jam Adversarii, quàm amplum ingenii acuti, multiplicitis, subiti, atque celerrimi theatrum palmarum Oratores, hoc est, nostri, qui cum tot egregiis maximisque difficultatibus gloriôsè luctantur, easdem strenuè perumpunt, imperioque animorum per summum conatum fortissimè potiuntur, undique patefaciant, Certè qui ingentia pilarum saxa, subjectis palangis A moliantur; vel qui porrectum marmorea pyramidis, aut columnæ scapum trochleis in B altum tollunt, rectumque constituunt; eo suã in arte ingeniosiores putantur, quo moles illa, quam versant, & gravior, & major est. At nostri Oratores, quum molem omnium maximam, atque gravissimam, averfam nempe, vel alienam Auditoris mentem, atque sententiam, quò lubet, auferant, atque trajiciant: quum C voluntatem, refractariam illam sæpe belluam, & contumacem, quam nullæ minæ, si jus suum propu-



propugnare velit, expugnant; nullæ blandi-  
**D**tia delinunt, aut cecurant; nulla Regum po-  
 tentia domat, nullus scyentis exercitus ter-  
 ror consternat; nulla tormentorum carnifici-  
 na vincit; quam demum solus Deus, quum ei  
 placet, nutu suo temperat; sed mortalium ne-  
 mo, nemo profus sternit, aut labefactat; ipsi  
**E**tamen argumentorum fuculis in omnem par-  
 tem admirabiliter moveant, ac vertant: quam  
 illustrem sibi ingeniū lauream decerpunt?  
 quam amplam de subactis non corporibus,  
**F**sed animis orationem, justumque triumphum  
 mereantur?

156. Sed nescio quid insuper magis mirifi-  
 cum machinatorum omnium ingeniosissimus  
 Archimedes artificiose molimine aggressus  
 est, & perfecit. \* Quanti enim sudoris est, in-  
 gentem classem urbi imminentem, atque jam  
 excidium, vastitatemque importantem sub-  
**A**movere, dissipare, detergere? Quanto impo-  
 ditius est, multam rostratarum navium vim  
 toti jam Oceano fræna, venis incassum fre-  
**B**mentibus, decumanisque fluctibus frustra ob-  
 nitentibus, injicientem arcere longius, quam  
 immota lapidum pondera machinamento tra-  
 here? In finitâ penè triremium, & quinquerem-  
 ium copiam Syracusis Marcellus Imperator  
 admoverat. Urbem fortissimo milite concen-  
 tius oppugnabat, bellicisque tormentis quam  
 validissime arietabat. Hinc sagittarii peritissi-  
**C**mi, illinc funditores exercitatissimi vis-  
 quemquam sine vulnere in muri coronâ pa-  
 tiebantur.

*Livius Dec. 3. lib. 4.*



tiebantur hærere. Naves agitatae remis, con-  
 tabulatas turres omni militari instrumento **E**  
 refertas quaticendis mœnibus advehebant. Jã  
 adversus hunc navalem apparatus tam ma-  
 gnum, tamque formidandum quid praesidij  
 speculator illi Cæli, siderumque excogitavit? **F**  
 Suspiciate Auditores inventoris solertissimi a-  
 cerrimum ingenium. Pro muris varia ma-  
 gnitudinis tormenta disponit Archimedes,  
 tum in eas, quæ procul erant, naves saxa in-  
 genti pondere ejaculatur; in proras verò pro-  
 piores ferreas manus firmæ catenæ alligatas,  
 tollenonibusque suspensas demittit; deinde **G**  
 gravi plumbi libramento ex adversa parte ad  
 solum illico recellente, in altum rapit; mox u- **H**  
 namquamque navium in puppim statuit, actu-  
 tumque remissam undis affligit, atque immer-  
 git. *a* Neque contentus aquis obruere, quò et-  
 iam flammis absumeret, concavis speculis in  
 summa murorum crepidine defixis, Solis ra- **I**  
 dios certam ad metam omnes ita coegit, at-  
 que retorfit, ut cunctas naves nullo fere nego-  
 tio penitus inflammarit. Neque alio sanè arti-  
 ficio Proclus insignis Mathematicus, quò sus-  
 pensis æneis speculis, si Zonaræ credimus à  
 Constantinopolitanis muris ignem radijs ac-  
 census, fulminis instar, in adversam hostium **L**  
 classem intorsit; classem unà cum classarijs re-  
 pentè exussit, urbèq; obsidione liberavit. Quin  
 non tantum pice oblitas naves Archimedes,  
 & Proclus *b* extemplo cremarunt; sed vel  
 I ahe-

*a* Rodiginus lib. 15. cap. 13.

*b* Galenus lib. 3. de temp. cap. 2.



**L**ahenas etiam, & chalybe obductas moles, quæcunque incurrerent, liquare docuerunt.

157 Nunc porro fignite, Auditores, imò reverà oculis, ac mente lustrate pervicacem vo-

**A**luntatis renixum, tanquam rostratam navem, imò non unam navem, sed totidem planè o-

**B**nerarias, armatasque triremes, quot Auditores adversa sententiæ obarati, classis omnino ingens, integer sæpe populus, totaque concio, pulpitum circumstant, in multarum cupiditatum veluti mari fluctuantes contempla-

**C**ferta multitudinis manus impetit? quoties

**D**stipatavirorum, feminarumque agmina divinarum legum muros arietant? quoties conviciorum telis virtutis propugnatores ferunt? quoties iniquæ obstinationis fundis, ac lapidatione justitiæ repagula quatiunt? quoties turres, morum dissolutione mobiles quidem, at scelerum multiplici contignatione præaltas, omni pudori, & sanctimoniæ everteudæ nequiter admovent? Quæ igitur erit

**E** illa vis tam potens, quæ brachia tam laceitosa, quæ propugnacula adeo munita, ut tantam tamque furiosam impressionem non dico, retundere, sed perferre possint? At in tam extremo dedendæ urbis periculo, hoc est, in causiæ æquissimæ adversus contumaces homines desperato ferme patrocinio, enimverò Tullianæ ingenium eloquentiæ, Auditores, sese in suggestum tanquam in mœnia improvisò effert; mox hinc in perduelles, à veritate quàm lon-

**F**gissimè positos, argumentorum missilia ejacula-



culatur; illinc amplificationis tollentem tot  
catenas, ferreosque uncos, quot rationibus  
vincitur, spargentem, ab ore suo in Audito-  
rum aures, ceu in proras demittit? tum evul-  
so errore, mentem ineluctabili perluafionis  
vortice statim rapit, ac mergit. Et poterit hu-  
ic ingenioso Oratoris facinori ingenium ul-  
lum aequale reperiri?

158. Quod si qui capitones ex ære fusi, aut  
ex chalybe facti, duratique honestatem per-  
gant contemnere: hic Oratorum divinus Ar-  
chimedes, tot siderum speculator, quot stella-  
tis enthymematis dicendi characterem distin-  
guit, Orationem suam illico in nitidum, con-  
cavumque speculum fingit, atque in suggestu  
collocat: tum ex eloquentiæ Sole rationum,  
morum, atque affectuum radios emicantes  
excipit; exceptos recta omnes in unum per-  
suafionis punctum ita dirigit, ut Auditores u-  
niversos, licet ferrei sint, tandem leniat, li-  
quet, incendat, suæque sententiæ agglutina-  
tos urendo ferruminet. Vultis unum, quod  
sexcentorum instar sit, memorandum exem-  
plum paulo accuratius recensere? Ita opinor.  
C. Caesar Q. Ligario, quod eum in hostium ca-  
stris contra se militasse haberet comperit, in-  
fensus, rerum tandem potitus, injuriæ ulciscen-  
dæ animum adeo obfirmarat, iraque percitus  
vindictam tam implacabilem meditabatur,  
ut nullâ ratione ad commiserationem flecti,  
aut inclinari posse videretur. Non Ligarij  
ipfius supplices voces, non calamitosa fortu-

L 2

na,

\* *Plutarchus in Cicerone,*



na, non luctus, non lacrymæ furentem Dictatorem poterant delinire. Omnem Rei excusationem repudiabat, defensionem omnem averfabatur. Obtestabantur amici: at frustra. Rogabant affines, & consanguinei; sed inani operâ. Immobili proorsus obstinatione fontis multandi pectus sibi obriguissè gestu, voce, oculis, vultuque præ se ferebat. Diceres ipsum Cæsarem duriorẽ chalybe, & quovis solidiorẽ adamante evasisse. \* Verum si huic ferro, & chalybi suas faces Ciceroniana eloquentia subijciat, quàm de subito, quàm prodigialiter illum molliet, ac perdomabit? Adeste præsto animis. En M. Tullius, admirabilis ille Oratorum omnium Archimedes, Ligarij causam, & patrocinium suscipit, atque ad audiendum C. Cæsarem invitat. Cæsar, quod suum perdendi hominis consilium vel ipsis insculptum medullis nullâ arte, nullaque vi deleri, aut revocari posse existimaret, frustra quidem se invitari, quando Ligarium jam dudum ut improbum, suumque hostem damnasset, præfatus; officij tamen gratiâ, quò Ciceroni gratificaretur, se auditurum, ad amicos conversus, respondit. Ubi autem M. Tullius dicere orsus est, ubi in medium argumentorum deprompsit spicula; ubi suæ eloquentiæ machinamenta in aciem eduxit; tum enim verò Cæsaris constantem illum, fortemque vultum varijs paulatim obduci coloribus: animum simul diversis cieri motibus; mox æstuarẽ, alternisq; veluti procellis inquietari vidisses. Quid porro ubi Pharsalicam pugnam

*Plutarchus in Cicerone,*



gnam commemoravit Orator? quid ubi  
confertas rationes in Tuberonem tam con-  
tentè exoneravit? quid ubi hisce vocibus non  
tam dixit, quàm tonuit? *Quid enim tuus,  
Tubero, ille districtus in acie Pharsalicà gladi-  
us agebat? cuius latus ille petebat? qui sensus  
erat armorum tuorum? qua tua mens, oculi,  
manus, ardor animi? quid cupiebas? quid op-  
tabas?* Quid ubi tam acri, incensaque orati-  
one Cæsaris pectus ex obliquo adortus est?  
quid ubi obsecrando, laudando, demulcendo,  
premendo, omnia sursum deorsumque misc-  
re cœpit? an non illum flexit, vicitque, ac vel  
invitum & reclamantem ignoscere Ligario  
coegit? Tanta nimirum fuit dicentis vis, Au-  
ditores, tantum robur, atque impetus, ut Cæ-  
sar ipse paulo ante immoto rigidior marmo-  
re, eo Orationis tonitru consternatus, atque  
exanimatus, toto corpore, teste Plutarcho,  
contremuerit, supplicesque libelli, quos ma-  
nibus gerebat, repente ei exciderint, & tam  
fortis, tantusque Imperator (O vim tuam in-  
credibilem, inauditamque potentiam, M.  
Tulli?) tot regnorum domitor, tot provin-  
ciarum dominus, tot partis victorijs metuendus,  
ab unius Ciceronis ingenio victus, ac  
domitus, territusque ex ipsa, in qua conside-  
bat, sellâ penè fuerit exturbatus. Scilicet M.  
Tullius ex Orationis inflammatae speculo en-  
thymematum fulmina, affectuum ardore vi-  
brata, in animum adeo efferatum ita adegit,  
ac torsit, ut inexpectato eum incendio  
corripuerit, perussit, liquefecerit, placat-



tumque Ligario omnino reddiderit.

159. Quis igitur è censu Tulliano Orator Tulliani Oratoris ingenium, quod persuadendi provinciam tam difficilem, tam gravem, tam impeditam, tam nobilem gloriose adeo, ac strenue perrumpit, pervadit, perlustrat, ac debellat, satis idoneis, amplisque præconiis exornet? quis summam illius vim, atque imperium non admiretur? quis à divina quadam sapientia hanc mentis præaltæ aciem delibatam non agnoscat, laudandoque rursum in Cælum non evehat? Verum quantumcunque Ciceronianus Orator emineat ingenio, hoc uno tamen minus est ingeniosus, quòd suæ laudem sollertiæ ne ipse quidem tam copiosâ eloquentiâ, diviteque Oratione satis eleganter, ac digne eloqui potest.

*A Tulliana eloquentia ad stipulatores ingenio meliores, quia Orationum instrumenta ad persuadendum accommodatissima fabricantur.*

160. **V**erùm si nostri Oratores finem perdifficilem, præcellentemque, ex quo primam ingenij lucrantur prærogativam, intuentur; profectò ad hunc ipsùm finem adipiscendum non minus appositæ quoque Orationes, unde alteram ingenij lauream sibi decerpunt, pulchrè conformant. Si enim tria illa ad persuadendum instru-



menta, ut initio posuimus, rationes scilicet, mores, atque affectus inspiciamus; quis hæc omnia sapientius, atque sollertius, quam Ciceroniani dicendi artifices exercent? Hi nimirum in omnem se versant partem, ut argumenta causæ necessaria eruant. Hi singulorum argumentorum officia, momenta, vim, roburque prudenter examinant. Hi adjuncta omnia loci, temporis, personarum, negotij diligenter expendunt. Hi, quæ sint cuique generi propria, quæ aliena; quæ insita, quæ extranea, tempestive observant. Hi entymemata, quæ Auditorum captui quadrant, quæ sint popularia, quæ nimis à communi cognitione remota, accuratè animadvertunt. Hi genus omne testium advocant, locos omnes excutiunt, nihil inexploratum relinquunt, quicquid in rem suam derivare queunt, sagacissime odorantur; contra verò quo pacto Adversariorum fundamenta debeant convellere, maturè considerant; quid causæ propriæ obesse possit, tanquam Argi quidam, centum instructi oculis, longè ante provident, omnes eorum latebras tenent, dolos omnes, atque fallacias retexunt. At in exprimendis moribus quis concinniore penicillo, quam Tullianæ imitator sacundæ, utitur? quis cuncta acutiùs perlustrat? quis decòri magis memor, aut retinens omnia, quæ profert, ut suam dicentis personam maximè deceant, tam pensulatè trutinatur, aut circumspicit? quis universa, quæ expromit, an Auditoribus consentanea sint, aut secus, religiosius ser-



248 P. II. DE APT. S. PERSVAC. ni  
tatur? Noster Orator, noster Concionator  
est, qui summam prudentiam, dum omnem  
rei honestatem, atque utilitatem indagat,  
nihil non ex destinato, atque consilio offert  
in medium, rerum omnes difficultates notat,  
simulque elidit, luculenter aperit. Et cui, nisi  
nostro eloquentiæ magistro insignis probita-  
tis totâ in Oratione ostendenda, opportuni-  
tas blandior, aut mollior se præbet? Quis  
aptius, aut melius, quàm idem persuadendi  
Architectus pietatem in Deum, sacra in Tem-  
pla venerationem, in viros Religiosos ob-  
servantiam, caritatem in patriam, justitiam  
in cives, modestiam erga omnes, in rebus om-  
nibus magnanimitatem, virtutum denique  
cæterarum exercitationem dicendo repræ-  
sentat? quis benevolentiam erga Auditores  
tam suavi lenitate, tam prolixo de omnibus  
bene merendi studio testatur? Ubi autem Tul-  
liani Concionatores affectus commovere co-  
gitant; quot illis, & quanta, quàm multa, quàm  
magna complectenda animo sunt, & com-  
prehendenda? Ijs attentè prospiciendum,  
qui, & quot quavis in causa requirantur, qui  
cuique materiæ convenient; qui sint huic,  
aut illi perturbationum generi obnoxij, in  
quos potissimum Auditorum singuli accen-  
dantur; quas ob causas quælibet appetitiones  
maximè lacestantur. Ii secum, quinam af-  
fectus idonei, qui repugnantes, qui præpos-  
teri videantur, serio reputant. Ii, quâ ratio-  
ne mutuò illi miscendi sint; quam prepara-  
tionem, ut ex uno in alium dextere fiat gra-  
dus,



dus, eorum unusquisque postulet, sapienter  
 discernunt. Ii graviores ita temperant, ut  
 quum ad lacrymas eliciendas artis machinas  
 adhibent, nolint tamen videri eas ipsas la-  
 crymas velle elicere. Ii nunquam in commi-  
 seratione diutius morantur. Ii honestum  
 semper ad commotionis aditum, ut non vi-  
 deatur quaesitus, sed à ratione ultro oblatum,  
 prudenter captant: recessum verò non præ-  
 cipitem, ut non exhaustum, vel satiatus, qui  
 dicit, sed sui compos, ac potens, de industriâ  
 in altum se migrare sermonem, haud obscu-  
 re significet. Quid amplius? Tempus ipsum,  
 ne cui affectui plus, aut minus, quam oportet,  
 moræ indulgeat, sed legitimum tantum mo-  
 do, justumque spatium concedat, numeratis  
 prope singulis momentis, sollicitè dimetiun-  
 tur. Quanta igitur Tullianæ laus ingenii est;  
 quanta excellentia in tam exquisitis instru-  
 mentis conficiendis, expoliendis, admoven-  
 disque splendescit? quanta dignitas, atque  
 eminentia, non solum quia persuadendi finem  
 operosum, atque sublimem respicit, sed etiam  
 quia Orationum instrumentum ad eum obti-  
 nendum constat aptissima?

*Mirus ordo magni index ingenii, è Tullianis  
 Orationibus elucescit.*

167. CÆterū quia hęc utrāq; ingenii pal-  
 ma Adversarii, qui persuadendi stu-  
 dio, ac muneri nuntium jam pridem remise-  
 runt, haud inviti, opinor, nostris Oratoribus

L s      CORG



concedent : jam ad alterum illum ordinem, qui ex partium omnium in iisdem ipsis Oratationibus scitâ convenientiâ extat, sermonem transfero, Auditores. Cujus enim, nisi Tulliani ingenii ea sive Oratio, sive Concio est, quæ singula, & minuta quæque tam artificiosè disponit, quæ omnia suis collocat sedibus, quæ universa suas tribuit in partes, quæ cuncta membra inter se aptè committit? Horologii ordo per ingeniosus est? horologium Ciceroniana Oratio æmulatur. Viden' totam illam in ratiocinationum dentatas quasi rotas tam congruenter inter se, striato axe intermedio, fœderatas, ut amplificationis ponderibus rapiantur in orbem? Viden' initio dicendi præcipuæ libramentum questionis, ceteros omnes temperans motus, denig' mox confirmationem sensim quodam prædètia, ac dissimulationis suffamine quodammodo sustineri, aut potius pertexi, quo deinde repente soluta; majore impetu tonet, ac ruat? Viden' demû explicatâ peroratione, elapsq; horæ spatio, malleum persuasionis non in tintinnabulum, sed in animum Auditoris infligi? Nihil in hujusmodi tam concinè fabricato horologio importunè inculcatum, nihil temerè additum, nihil infertum præpostere. Non hic ullus ambitionis, autæque popularis venandæ pulvisculus, nulla hic affectationis rubigo tot rotarum motus retardat, vel robur earundem rodit, aut detent. Nullæ acuminum redundantium bracteolæ frustra interjectæ, nulli argutiarum errabundi



errabundi capreoli spissius affixi; nulli scormatum dentes minutius secti, aut exacuti. Imò ne unus quidem inteinpestivi senticuli dens in rotam ullius argumenti recipitur, Nempe stant fixæ adeo, immotæq; omnium officiorum leges, ut nullam præterea rotam, nullumq; stylum, licet multo sententiolarum auro obductus videatur, ullo modo patiantur. Omnia hic momenta non tam temporis, quæ cuiusque incisi, atque particulæ, certis distincta intervallis, certisque librata rationibus, bellissimè fluunt, ac suavissimè illabuntur.

162. Sed quid ego de horologio disputo? nū aliquid majus adhuc, hoc est, Archimedis illam sphaeram tam admirabiliter elaboratam desideratis? Sphaeram exprimit Oratio Tulliana. Hic rationum, morum, atque affectuum circuli minores, majores, ac maximi discriminantur. Hic thesis seu propositionis axis exordio, & perorationi, geminis quasi verticibus, inseritur. Hic finiente lineâ membra quaestionis dividuntur. Hic Solis, Lunæque vices, ac motus, hoc est, animorum conversiones spectantur. Parum est, Auditores, sphaeram Archimedis à nostris eloquentiæ artificibus reddi. Cælum ipsum (quis credat?) ingenii veluti throclea, ab isdè suas in Orationes devocatur. Aspicite entymematam rata sidera in tam varias figuras decuriata: observate principis controversia Solem toti disceptationi moderantem, omniumque planetarum, seu rationum motus sedulo merien-



tem. Intuemini hunc ipsum Oratorem jam  
 dicam clarissimum causæ patrociniò afferen-  
 tem, jam Adversariis, ipsisque iudicibus no-  
 sistenebras offundentem. Cernite Lunam  
 nunc propria augmentem dilemmatum cornua,  
 jam contraria extenuantem, modò expleto  
 exaggerationis orbe plenius micantem. No-  
 tate obluçantium impedimentorum, aut ex-  
 ceptionum cursus, ceu in contrarium niten-  
 tes, à rapido refutationis motu retroactos.  
 Hæc igitur Oratio tam graphicè descripta,  
 ut Cæli ipsius divinum ordinem nobis refe-  
 rat, quâ iam ordinis Cælo subiecti præstan-  
 tiâ carere potest? Vultis quatuor rerum ini-  
 tia? amens sum, nisi hæc à quatuor e jusdem  
 partibus, exordio, narratione, confirmatio-  
 ne, atque epilogo delineantur. Vultis mutua  
 prælia, atque victorias? mutua damna, & lu-  
 cra? aut fallor, aut illa sunt, quæ noster di-  
 cendi faber suis dat Adversariis, pauloq; post  
 ingenti lucro, multoq; causæ proventu redi-  
 mit, & compensat. Vultis fulmina? enthy-  
 memata fulminis instar intorquentur. Vultis  
 tonitrua? tonant grauiore affectus. Vultis  
 terræ motum? subitâ trepidatione Auditorum  
 animi commoventur. Quid ultra egregii or-  
 dinis uspiam est? num humani corporis hor-  
 mine major coagmentatio, inimitabilis, atq;  
 ineffabilis symmetria superest? Imò hanc  
 quoque Oratio Tulliana in se traducit. Ubi  
 membrorum tanta varietas? multa in mem-  
 bra unaquæque periodus venustè distribuitur.  
 A Vbi musculi, atq; pori? ineluctabili illâ dicen-



di vi nihiltorosius, aut musculosius. Ubi nervi? perpetua illa rationum commissura nervo quovis validius totam Orationem adstringit. Ubi ossa? diversa firmamenta nō minus causae molem, quā illa corporis, sustinent. Ubi Venarum canaliculi? latices illibeatae cujusdam facundiae lenissimē manantes, quaedam emicantes venae sunt eloquentiae. An igitur nostris Orationibus, in quibus horologii, sphaerae, caeli, siderum, elementorum, humani corporis, Orbisque universi pulcherrimi ordinestam decorē componuntur, potest aliquid ingeniosius excogitari?

163. Porro hęc tanta ordinis admirabilitas quorum, nisi nostrorum Oratorum, propria est, & peculiaris? Quum enim hi in amplissimum persuadendi finem toto pectore ferantur, istatus ordo ab hoc ipso fine iisdem Orationibus ex lege necessario imperatur. Statue namque aliquem Imperatorem, qui hostes praelio sibi evertendos proponat; quis extemplo non colligit, huic exercitum omnem, ut victoriae sine potiatur, in ordinem necessario esse tribuendum? Res aperta. Totam ille subito aciem in legiones secat, legiones in cohortes, cohortes in manipulos, manipulos in centurias, centurias in decurias partitur. In fronte principes, in medio agmine hastatos, in ultimo triarios collocat. Hinc equitū alas ad cornua explicat, illinc in subsidiis pugnantissimas gentes constituit, nullum militem telis hostium opportunum relinquit, omnes aditus ad capeſſendam fugam obstruit, omnia



diverticula, ne à tergo circumveniat, ob-  
det, omnes Adversarii infidias præcavet, la-  
tera, omnia, ne quâ impressio ingruat, egre-  
giè munit. Haud secus nostri quoque Orato-  
res, quum Auditorum animos, quasi arcem  
quandam, dictione sibi expugnandos decer-  
nant, ab isto expugnandorum animorum con-  
silio, ac sine apti congruentisque ordinis in O-  
ratione conferendi statim admonentur, atque  
ad eundem eximiâ specie instituendum sive  
pente nutu quodammodo impelluntur. Cedo  
enim mihi eorum Orationes: totidem acies in  
multitudinis campo explicatas dices. Singula  
earum in præcipua membra quæstionis, tan-  
quam in tot legiones, distribuuntur. Rursum  
singulis membris suæ cohortes, hoc est, cau-  
sæ firmamenta primaria assignantur. Denique  
hæc suos inductionum manipulos, enthyme-  
matum ceterias, exemplorumq; decurias for-  
riuntur. Primo loco principes, argumenta  
scilicet firma, medio hastati, nempe firmio-  
ra, postremo triarii, hoc est, firmissima sta-  
tuuntur. Hinc alæ equitum reprehensionibus  
armata in Adversarios excurrunt, illinc  
Judicibus ipsis terrori sunt. Nullus aditus  
hosti ad elabendum relinquitur, omnia diver-  
ticula præmunitionibus intercluduntur, nulli  
latus Orationis, quin nulla ratio nuda, Ad-  
versariorum fraudibus obnoxia, exponitur;  
quicquid dicitur, semper quædam amplificati-  
one, aut ratiocinatione, ut nulli hostium lu-  
dificationi esse possit, cataphractum incedit.

164. Hic autem ordo, Auditores, tam va-  
rias,



rius, ac splendidus quum in Ciceronianis concionibus adeo enitescat; quis hunc ipsum, tanquam Tulliani ingenii præstantissimam imaginem, atque exploratissimum testem nõ recognoscat? Nam si ex sphaera, cæli, hominis, elementorum, orbisque totius ordine in divini ingenii, atq; sapientiæ admirationem rapimur: quum hunc ipsu ordinem nostri Oratores suas in Orationes tam bellè deducant, annon ingenii cujusdam humano ferè majoris florem ex ipsa planè divinitate libatum demonstrant! annon Adversariorum intelligendi vim longissimo perspicaciæ tractu prætergrediuntur? Nemo dubitabit, Auditores, nili qui, quàm indissolubilem habeat ordo cum ingenio consociationem, penitus ignorat.

165 Imò verò ingentia illa, quæ lubentes Adversarii committunt, piacula obscuritatis, similitudinis, affectationis, erraticæque evagationis, quot quantisque contrariis virtutibus perspicuitatis, varietatis, proprietatis, & contentionis Tulliani Concionatores expungunt? Nostra scilicet Oratio, nostra Concio est, quæ verba omnia, omnesque dictionis ambitus, ut probè intelligatur, coagmentat; ac ne quid caliginis offundatur, clarà styli luce areet, prohibetque. Nostra illa, quæ nunquam in eodem hæret vestigio, sed novam semper, diversamq; rerum scenam patefacit, alias atque alias rationum, morum, affectuumque divitias continenter depromit. Nostra illa, quæ in verborum cultu minimè  
anxia,



256 P. II. DE TULLIANÆ ORATIONIS  
anxia, minimè superbitiosa, nec tamen ne-  
gligens, sed moderate diligens, ornatum rei  
congruentem induit: licet accommodatas  
metaphoras non repudiet in loco, magis ta-  
men propriè, ac significantius amat loqui:  
stylum quidem simplicem, apertumque, sed  
non humilem; natualem, sed non abjectum  
profitetur. Nostra denique illa, quæ in ar-  
gumento posito habitat, nec peregrinatur,  
sed collato dimicat pede; stricto semper gla-  
dio præliatur acerrimè, semper urget, semper  
jugulo imminet, semper premendo, ferien-  
doque progreditur.

*Fabricatio Tullianarum Orationum  
difficillima.*

166: **V**erùm hic Tullianarum stylus Ora-  
tionum, hoc opus, atque artifi-  
cium quanto illustrius est, Auditores, tanto  
quoque constanter accedit laboriosius. Ut enim  
nihil facilius, nihilque pronius, quàm effra-  
**A** nem veredum, aut sternacem equum, in om-  
plissimo lascivientem prato, quoquo versum  
cursu citatissimo, sine ullâ lege præcipitem  
ferri, sursum deorsumque per amœnos colles  
spatiari, non nihil procedere, extemplo repe-  
**B** dare, in orbem circumagi, ante, retro, in  
latus procurrere, recedere, deflectere: ita ni-  
**C** hil arduum magis, aut durius, quàm lupatis  
**D** coercitum alturconem, ephippiis instratum,  
**E** postilena, pectoralique succinctum, habenis,  
**F** & loris sustentatum, rectoris freno semper  
pa-



parentem, per angustissimum callem rectâ  
 semper, ordinatimque pergere, ad virgulæ  
 umbram, ac sibilum illico mobilem, celerare  
 iter, jam gradu tollitum explicato, bellè, gra- **G**  
 viterque incedere; modò fossas pernici factu **H**  
 trahere; nunc posterioribus arrectum pedi- **I**  
 bus insistere; jam incitatiùs glomerare passum; **K**  
 mox vastam cursurâ effusissimâ transvolare **L**  
 planitiem; repentè fræno monitum cursum  
 abrumperè; subito hæere vestigio; rursus la-  
 cessitum calcaribus toto impetu ruere; hostem  
 in pugna calcibus petere, ferire, proculcare;  
 lacerare morso, hinnitu territare, nisu, pressu-  
 que exanimare. Nunc, quæso, quo munere  
 phalerati Declamatores in suggestu fungan-  
 tur, attendite. Esfrænes sine ullâ persuadendi **M**  
 curâ veredi sunt; steruaces omnino equi, nul-  
 lum viæ rectorem tolerantés. In latissimâ il-  
 lecebrarum acie sine ullo moderationis fræ- **N**  
 no, sine clitellis decòri, excusso rationis fes-  
 fore, temerè in has, atque in illas descriptio-  
 nes excurrunt. quid facilius? Incerto sem-  
 per gradu, hinc se in acuminum sinus fle-  
 ctunt, illinc per jocos, & sales redeunt; inde  
 se in fabulas porrigunt, istinc in orbem sensi-  
 culorum circumaguntur. quid proclivius?  
 mox per argutias sursum, deorsumque pa-  
 lantes vagantur; tum per omnes venerum,  
 lepòrum, annominationum, gratiarumque  
 crepidines, exleges, præcipitesque rapiuntur. **O**  
 quid expeditius?

167. At quanto operosior est, Deus immor-  
 talis, quanto salebrosior Ciceronianæ elo-  
 quæ-



quentiæ provincia; quanto asperius munus  
**A** Hæc nempe in oblongo Concionis hippodromo per angustissimum dispositi artificii callem ad metam persuasionis rectâ semper incedit.  
**B** Defensionis pectorali loricata, ephippiis amabilis cuiusdam gravitatis cooperta, habens motionum laxandis, adducendisque morans, causâ insilit; ad quæstionis nutum, tamquam ad rectoris ductum, semper flexarimur.  
**C** Jam sedatæ narrationis tollutario veluti insidens, ambulat lenius; modò immani præteritionis saltu fossam, voraginemque ineluctabilis difficultatis transmittit. quid magis lubrum? Nunc se in altam præmunitionem tollit; tum retro paululum in concessionem quandam, atque indulgentiam agit, ut confusum glomerato exemplorum agmine festinet celerius; ut vastam eruditionis planitiem volubili inductione transcurrat; ut ingentem perturbatæ mentis pulverem citatissimo amplificationis cursu Auditorum oculis incutiat. Quid rarius? quid non mediocribus etiam ingeniis molestius? Deinde verò figurarum irritata calcaribus, toto nixu se se infert in hostem, illum entymematum calcibus tundit, illum delemmatum dentibus lacinat, illam argumentorum ponderibus moleque proterit, illum affectuum non tantum hinnitu, quàm tonitru exanimat, ac perterritum sternit. Satisne ergo jam Tulliani artificii in Oratione texendâ difficultatem, o Declamatorum delicia, intelligitis? satisne vel oculis ipsis spectatis?



168. Quid si in hoc artificio latet adhuc aliquid difficilius? Videte quantum causæ fidam veritati. Audeo me vobis, ornamentorum patroni, credere, audeo me auctoritati vestrae sponte committere. Quid enim (obsecro vos, quod res est, candidè enuntiate) quid scopulosum magis est, in laxæ areæ, lataque platea, hac, atque illac puerorum more, quum lascivunt in trivio, circumerrare, tum sese **A** humi stolidi afelli de more, incompositè volutare, multo obruere pulvere, temerè se in omne latus agitare, manus, pedes, caput, totamque corpus jactare: an contra, volucris instar funambuli super extento in aere fune **B** tam securè, expediteque, ac si domestico in cubiculo nugaretur, cum omnium spectatorum admiratione ludibundum decurrere; à fune, quem premit, nunquam aberrare; per totam illam arctissimam semitam saltus geminare; gressus singulos, æquatis hinc atque illinc libramentis, recto semper tramite, tutisque vestigiis metiri? Nemo certè est, qui non fateatur, lascivientis in solo jumenti versatilem ludum, quam ambulantis in aere penè funambuli saltum multò esse proniorem. At vos, ò perpetui eloquentiæ errones, in vestris Concionibus, rogo, quid agitis; ab unâ acuminum tabernâ ad aliam in foro ambitionis; ab istâ ad aliam rursus fensiculorum officinam per varios antithetorum, scommatum, venerumque anfractus semper comعاتis; semper huc, atque illuc discursantes, immensam inanium nugarum farcinam, magno nihilo-



nihilominus gementes sub pondere, à re propositâ etiam cum sudore in avia transferta quid magis solutum? Hoc etiam mediastri in compitis, ac foro, non ingenio, sed dorsis merentes, & cuicumque humeros, pedesque suos in omnem Urbis regionem, vago semper itinere, locantes, cotidie præstant cumulatissimè. Vos deinde, pigra capita, totam causam in terram sternitis; stylum in omnium digressionem temerè vertitis; per sales, per scommata, per argutias, per acumina vos supra, atque infra volutatis; totam Orationem in levem plausus pulverem, auramque inaniter jactatis. Quid magis cuivis in promptu? quid adeo vulgatum? Hoc etiam Cajus ille Caligula, insanix monstrum, quum nudum se in cubiculo super pavimento aureis constrato nummis, ad inaudita, portentosaque oblectationis genus captandum, frequenter volutabat, studiiosissimè factitabat. \* Nisi fortè hoc magis pudendum sit, quòd ubi illius nummi omnes erant verè aurei, totam nonnulli eloquentia monetam ex acuminum meris adulteris consistant; atque ubi ille, etsi omnis pudoris effector, sese privato nudavit in cubiculo, istius in teatro multitudinis, in rostris, in pulpitis, in publicis conventibus tantam acuminum ambitionem, tam impotentem rumusculorum cupiditatem, tantam istarum illecebrarum intemperantiam, tota Oratione, tot animarum salute interea, atque ea propter turpissimè prostituta, inhonestè, denudant. At quid hæc scœditate turpius, simulque proclivius?

\* *Sueton. in Caligul. cap. 42.*



169. Contra verò quid ego hic de Tullianæ eloquentiæ difficultate dilceptem? quid exclamem! An hæc illa non est, quæ controversiæ funem commodè in rectum porrigit, totius structuram Orationis ad libellam exigit, mox per illum ipsum funem, rationum ponderibus semper librata, nusquam labente vestigio, decurrit? Quid periculosius? an non certam ad persuasionis metam per argumentorum nexus aptè committitur, neque infra causæ dignitatem humilis, neque supra decorum inflata, sed ad amussim semper entymematam, affectuamque, ut sic dicam, pedes, & gressus tam arcto in tramite numerat, explicat, duplicat, promovet, donec totum Concionis funem in perorationis spiram, <sup>A</sup> sub exitum festinatò convolvit? Et quis nodus magis implicatus esse queat? Si funambulos in fune stantes præ summo lapsus, ruinæque discrimine omnes mirabundi spectamus: quâ admiratione, quo stupore defixus, hærebit immobilis, quicumque Ciceronianam eloquentiam in extenso quæstionis fune, recto semper pede insistentem, ac ne latum quidem unguem à fine abscedentem, contentioso sanè, & supra quàm plebeia comprehendant ingenia, arduo, sed felicissimo cursu ad controversiæ victoriam, non tam pergere, quàm volare, animadvertet?

170. Magna est igitur, ut videtis, Tullianarum Orationum elaborandarum difficultas, magna planè, atque impedita provincia, Auditores, eoque impeditior, atque asperior, quo



quo tantorum operum artificium artificiosius præterea longè operosius, atque ingeniosius involvitur, & celatur. Quippè nihil violentius est, quàm Crasum superare divitiis, & tamen divitias minimè ostentare: doctrinam septem Græciæ Sapientibus nihil concedere, & tamen doctrinam nullam de se prædicare. Hæc virgo, quæ speciosissimo vultu est, si non videri gestit, sed omnium declinat oculos, si se gynæceo continet, si quærit secessum, seque de industriâ abdit, quantam naturæ vim infert? quod frænum impotentis formæ hominum ad spectui exponendæ cupiditati, quæ maximè regnat in feminis, fortiter injicit? At quis eloquentiæ divitiis, quis sapientiæ copiâ, quis venustâ dicendi formâ nostris Oratoribus, seu civilibus, seu Deo sacratis par fuit aliquando? Et tamen quum tot eloquentiæ opibus circumfluant, opes peritissimi artifices ambitiosius non jactant; quum tantâ sapientiâ cumulati sint, doctrinam intempèstivè non infarciunt; quum styli elegantiam ipsi prope gratis sint gratiosiores, hanc ipsam elegantiam non cæcussâ aliquâ contaminant, sed pudibundæ instar virginis, dissimulationis velo omnium oculis subducunt. Orationes sanè de suggesto publicè dicunt, sed rotam artificii admirabilitatem ab observationis aspectu removere studiosè abdunt, multo, ut ita loquar, filio, **A** multâ tramâ, multo subtegmine, multâ argumentorum, & figurarum texturâ implicanti. Vim illam suam cælestem Suada Ciceroni-



na non promit initio, sed modestè quàm primum, sincereque, quid impetrare velit, proponit; tum leniter animi, ut ita loquar, brachium palpat, fricat, & demulcet; usque adeo dextere versat premitque, donec jam planè obtusum illud tibi nec sentienti scalpello persuasionis incidit. Argumenta sua dilucidè explanat, decoreque ornat, paulatim vocem attollit, sensim animatur magis; quæque in Orationis vestibulo timidior videbatur, pedetentim incalescit, mox æstuat, paulò post accenditur, inflammatur, ignescit.

171. At has eloquentiæ divitias, hunc doctrinæ apparatus, hanc dicendi speciem, hanc persuadendi vim, hoc Orationis exquisitum artificium dicendo obnubere, quanto exquisitioris, & operosioris artificii est? quanto durioris conatus? Quis enim nescit ea artificia, quæ, cum oculos fugiant, lateantque in recessu, ex occulto sunt evocanda paulatim; ut monstri plurimum habent, ita quoque inventu, perfectuque multo esse difficiliora? Prestigiatōres illi, qui cuius, etiam valde oculato manuum dexteritate, atque argutiis imponunt, C quam agrè, contortaque non minùs, quam artificiosa digitorum ludificatione fraudes suas, & fucos abscondunt? Multiplices fontium lusus, siphonibus hinc atque illinc aquam ejaculantibus, quando sine admiratione intuemur? at quàm magnis sumptibus, quantoque nisu salientis aquæ molitrices machinæ procul ab oculis distinentur? Quoties illa, quæ vocantur automata, hoc est, quædam animata pro-

F  
pemo-



p: modum simulacra, suo se nutu moventis,  
 atque à nullo, quòd pateat, agitata ingenti  
 voluptate cernimus? at interius condita li-  
 bramenta quàm subtili, angustoque opere in-  
 cluduntur? Ita prorsus Tulliani Oratores  
 quibusdam velut præstigiis Auditorum ani-  
 mos videntur infatuare; capiunt, irretiunt,  
 H illaqueant: Sed eloquentiæ philtum textura  
 retia, & laqueos singulari industriâ, & dexte-  
 ritate sepeliunt. Fluentis styli fontes perio-  
 I derum siphunculis in orbem auditorii dis-  
 K pergunt: at ingeniosas machinas non in pro-  
 L scenio locant, sed intra scenam abducunt.  
 Animata quædam automata Ciceroniana  
 Orationes sunt, fascinoque quodam persua-  
 sionis incantant: at cuncta sollertissimi arti-  
 ficii libramenta in eis quàm diligentissimè tu-  
 mulantur.

*Tullianarum Orationum textura ab Ad-  
 versariis perfacilis temerè judi-  
 catur*

172 Q Uare quum Tullianarum Ora-  
 tionum opus, atque artificium  
 exegitatu, comptuque adeo difficile sit, tan-  
 toque difficilius, quanto occultius & tectius;  
 quis non Adversariorum, aliorumque consi-  
 milium, qui hujusmodi artificio, norma que  
 nihil vulgariùs censent, aut magis parabile,  
 summam non rideat, ut clementissimè dicam,  
 incogitantiam? Verba singula ferè sumpta  
 de medio cernunt, partes Orationis, mem-  
 bra



bra, incisa à communi non abhorrere sermo-  
 ne animadvertunt, atque idcirco Orationes  
 id genus fabricare, rem curvis nullo negotio  
 obviam statim pronuntiant: artificium tam  
 eximium, quod ipsi ne agnoscunt quidem,  
 molli à se brachio vincendum, ne dum imi-  
 tatione reddendum existimant. contra verò  
 insignem, luculentamque Concionem texe-  
 re, atque expolire, nihil aliud demum esse  
 sanciant, quam latè fuso stylo res utcumque  
 coherentes perstringere, multam peregrinæ  
 eruditionis vim, variam Historiarum sil-  
 vam, sublimes doctrinarum absonarum a-  
 pices, levium acuminum innumera myste-  
 ria, quanquam importuna, atque inepta, in  
 fascem cogere, ac perturbatè colligare. Hoc  
 Orationis artificium arduum, atque abstrusū  
 vocant; Ciceronianum autem dilutum fer-  
 mē, ac puerile; quā nullant etiam jacere cu-  
 ius in trivio, & vel tironibus in propatulo. **A**  
 Sed nimirum, quod hisce lepidis hominibus **B**  
 tam proclive videtur, atque illaboratum, ni-  
 hil est, ut prudenter olim ipsemet eloquentiæ  
 Rex Tullius providit, experiēti minus. Ni-  
 hil enim, nihil planè usu ipso tam scopulosum  
 accidit, nihil tam asperum, quàm ad Tullia-  
 num præscriptum sive Orationem, sive Con-  
 cionem ekicubrare. Ciceronem imitando  
 consequi, aut adumbrare, res imperitis vide-  
 tur expedita, & facilis. at manum operi ad-  
 moventium vel giganteos delassat humeros, **C**  
 ac lacertos. Arcanum illud reconditumque  
 artificium, illa tā multis inexplorata textura,  
 M stylus



stylus ille splendidissimus, opus majus omnino est, quam ut in humilis ingenij cadat angustias ( Vos enim jam appello, O ingenij, quo caretis, inanes jactatores ) est aliquid prorsus divinius, quam vos tantâ sollertia inopiâ, atque imbecillitate, ut vidimus, comprehendere valeatis. Huic celo tam vasto

**D** sustinendo ne Atlantæi quidem humeri, ne

**E** dum Pygmæorum, pumilionumque fluxi, atque enerves, hoc est, vestri, pares esse queunt. Non est, non est vestrarum virium, mihi credite, Ciceronis stylum, artemve exprimere. Fidem monenti detrahitis? Agite, periculum facite. Mentiar, nisi vos omnis conatus vel in principio extemplo fefellerit. Quando enim vobis Ciceroniani styli, vel eloquentiæ quicquam suboluit? Si Tulliani artificij, vel operis aliquid vultis effingere, aut sapere: Tullius ipse totus à capite vobis retractandus est.

**G** quid retractandus, dico? imò nunc primùm fortasse lustrandus, nunc primùm accurate perlegendus. in cuius sanè voluminibus compluribus quum multa vobis observanda sunt, tum inusitata in primis textura retexenda, figurarum vis expendenda, dicendi formula, amplificationum nervi, morum, affectumque

**H** machinæ enotandæ. Magno vobis studio, disertè prædico, magnâ patientiâ usus est. Ciceronis codices in manibus semper habendi, diu noctuque terendi. Et quia vobis, has è Tullio divitias vestro Marte eruere, Oratoriæ facultatis infantiâ impeditis, sat scio, non licebit: auctor vobis ego sum, ut dicendi ma-

gi-







occultior, eoque salebrosior, quò inexpertis expeditior videtur, vestro iudicio, vestrisque oculis contemplandam, perpendendamque subijciant.

*Ciceroniana eloquentia forma omnibus absoluta numeris, suo in lumine collocatur.*

173. **E**X his postremò omnibus dicendi præsidis, ex tot rationum, morum affectuumque instrumentis tam ingeniosè inventis, tanto, tamque improbo, eoque improbare artificio, quo magis tectò, concinnè adeo distributis, nec non tam congruenti dictione exornatis perfectà illa Tullianæ species eloquentiæ tandem existit, atque efflorescit. Quid enim est, Auditores, tam durum, quid tam incredibile, quòd illa non leniat, fleat, ac perdomet? Hæc profectò integerrima illa, & plena majestatis virgo est, quæ frontem **A** animosè commasculat, neque ut illa Adversariorum madens, atque effeminata, meretricio purpuris vultum adulterat, sed tanquam **B** Amazon invictissima, in quæstionis equo, **C** peltâ argumentorum, & commotionum munita, per confirmationis ballistam, hastam persuasionis intorquet. Hæc illa bellatrix fortissima, quæ rem propositam tam dexterè urget, tam blandè imprudentibus animis infrenuat, tantâ vi gradatim amplificat, tanto refellit pondere, impressionem semper majorem facit, adversariumque majores semper in-

an-



angustias redigit, atque ubi impressionis, pugnaeque finem adesse puto; tum ea, quasi me hactenus vix attigerit, alias ex integro sagittas promit, firmiora rursus machinamenta, ad quemcunque obfirmati præfractique Auditoris animum, cuspidatis argumentorum F tormentis, cochleæ instar (audacius dicam, ut G dicam significantius) penitus terebrandum, exerit, ac promovet. Jam verò tam validæ facundiæ Oratio quid non vincet, ac subiget, H quæ perduellium animorum obstinata consilia, tanquam moenia, ratiocinationum arietibus quatit, ac demolitur? illa, quæ pertinaciæ arcem quâ artificij defossi cuniculis subruit, quâ scalis entymematum submissorum sensum admotis, conscendit, & calcât; quâ aperta commiserationum vi prostermit, soloque exequat? illa, quæ in acie & armorum, & pugnae mutans genus, tum à grandioribus telis ad breviora descendens, novas sicas, novosque pugiones, duriores semper, atque acutiores improvisò nudat, interior fit semper vulneri, collatoque pede dimicat, pungit, ac ferit; neque ante excedit è prælio, quàm totum mihi persuasionis ferrum defigit in pectore, frustra que reclamantem exanimat, atque ita exanimem vociferari cogit. *Victus sum. herbam porrigo, tuam in opinionem, atque sententiam vel invitus concedo.*

174. Quod si hæc eadem Oratio palmaris, regia, atque imperatoria, eadem quidem formâ, vultuque à M. Tullio sacratis viris credatur, at profanis exuta vestibus, aliis, hoc

M 3. est,



est, sacris paludamentis induatur, sacrisque instructa praesidiis, sacrosancta Tempora perhustret, atque in pulpitis vim suam, efficacitatem, atque potentiam effundat; Deus immortalis, quae subita rerum omnium commutatio, quae novae hominum facies, quae novae pavimenti, & parietum scena? objurgat, at ferit; rogat, at flectit; clamat, sed penetrat; minatur, sed terret; execratur, sed tremore quatefacit. Alto derepente silentio, suspiriis tantum interrupto, singultibus fatigato, steribus expugnato, Auditores omnes tenet immobiles. Illos nunc rubore perfundit, nunc **A** emaciatur pallore, nunc, ne mutuo sese audeant aspicere, metuenda oris maiestate deterret. Hinc cuncti ferè dicentis ardore faucibus, extemplo in preces fusi, humique strati, piacularum versant coronam, salutantes sub **B** Concionis finem amicos non audiunt, nec resalutatos pie inurbani dimittunt. Exeuntium è Templo vox una omnium est: O Concionatorem ter sanctum! O caelestem Dei legatum! o peccati monstrum horribile! o honestatis amabilem pulchritudinem! Haec nimirum Rhetoricae divinae divina proles est. Haec illa portentosa animorum moderatrix, quae iram furentes, vindictaeque cupiditate precipites frangat. Haec, quae nudatos enses vulnerique proximos vaginis reddit. Haec, quae **C** rapacibus Harpiis res furto sublatas, ferreis licet arcibus pressas, licet profundis humatas fossis, eripit, ereptasque dominis suis restituit. Haec, quae Veneris flagitiola mancipia,

hir-



hirco pejus olentia, subito lilia docet afflāre. **D**  
 castitatis. Hæc, quæ pacem foris domique  
 alit. Hæc, quæ bella in nostræ religionis  
 transfugas accendit. Hæc, quæ Christianos  
 inter Principes arma, atque iras componit.  
 Hæc denique illa illa est, quæ nutu suo quam-  
 cunque in partem Auditores rapit; quæ eorum  
 ex mentibus opiniones & decreta cordi mor-  
 dicus hærentia, jamque infixæ medullis,  
 argumentorum, atque affectuum velati for-  
 cipibus, per summam contentionem stirpitis **E**  
 evellit, vitiosas antiquat consuetudines, no-  
 vas condit leges sanctissimas, omnium ho-  
 minum saluti consulit, hiantem perdendis  
 animis Orcum claudit, miserè demum pere-  
 euntibus Cœli beatissimas sedes pandit. **O**  
 eloquentiæ machinas potentissimas! **o** Orâ-  
 tiones, atque Conciones ad cupitam senten-  
 tiam, ac deliberationem ab Auditoribus ex-  
 torquendam ab ipsâ planè Suadâ conforma- **F**  
 tas!

175. Ex hoc nempe admirabili, ac muni-  
 tissimo Tullianæ facundiæ, quam paulò ante  
 in solo Cicerone spectavimus, armamentario  
 suam derivavit in Hetruscum sermonem Ora-  
 tionem nobilis ille, atque insignis Concio- **A**  
 nator, quem Angelus Politianus, homo di-  
 fertus, atque eruditus, sed emunctæ omnino  
 natis, durique admodum supercilii, vel invi-  
 tus suspicere, ac prædicare coactus est. \* Ac-  
 cesserat is, ut de se ipso ipsemet scribit, ad au- **B**  
 diendum veluti tentabundus, neque tam au-  
 diturus, quàm non secus, ac cæteros, quos  
 \* lib. 4. epist. 6. M 4 tan-



tanto munere ineptè interdum abutentes de more irridebat, contempturus. At ubi de suggestu vir eloquentissimus exordio quam accommodatissimo Auditorum animos, nondum aures, sibi cœpit demereri: tum subito difficilis ille, morosusque censor aures arri-gere, avidèque lenissimè loquentis copiam haurire, nec non gravibus, suavibusque sententiis demulceri. Post exordium distinctè facer ille Orator partitur, iste attendit. Nihil implexum, nihil involutum, nihil frustra advocatum animadvertit. Texit deinde argumentorum nexus: & statim qui venerat fastidiosus Auditor, illaqueatur. Retexit, expeditur. Inserit alicubi affines causæ narratiunculas, oblectatur. Premit, urgetque enthymematis, dat manus. Experitur affectus mitiores; statim de oculis per os lacrymæ cadunt. Clamat iratus, terretur. Denique pro re ipsa, quam tractat, & figuras, & vocis flexus variat, & ubique actionem gestu commendat (quæ omnia in nostri quoque Oratoris, atque Concionatoris ære sunt, ac censu) & ecce tam vehemènti eloquentiæ impressione prostratus. Politianus mentem pristinam illico exiit, nova inquit consilia, torusque in alium prope hominem migrat.

126. Hanc eandem eloquentiæ formam, & vim Sapientum totius Græciæ Pater, ac lumen Gregorius Nazianzenus magnâ ex parte (ut facilè nôrunt omnes, quicunque in ejus monumentis vel mediocriter versati sût, præcipuè verò qui eum Græcè loquentem le-ge-



PERFECTÆ ELOQUENTIÆ. 273

gerunt) expressit. \* Utebatur ille pressâ Ora-  
 tione simul, atque uberi, styloque peracuto  
 non tam vibrabat, quàm vulnerabat. In elo-  
 quendo grandis, magnificus, suavis, copiosus,  
 plenus omnino dignitatis. Si sensa expendis,  
 in altum se effert: si verba trutinariis, omnibus  
 dictionis opibus ad miraculum usque circum-  
 fluit. Ubique sententiosus, aureæ mentis mul-  
 tiplices sœtus expolitæ elocutionis elegantis-  
 simis, ut ita dicam, fasciis, & incunabulis exci-  
 pit, atque exornat: tum supra omnem ingenii  
 aleam difertus, consummatæque in mitiori-  
 bus literis peritiæ, nihil ille dicendo premit,  
 quod ab Auditoribus sine morâ non exprimat.  
 Quoties verò de industriâ in altissima quæque  
 mysteria, cum magno verborum, rerumque  
 pondere, se penetrat? quoties divini cujusdam **A.**  
 ingenii pennis subnixus, in arcana Theologiæ  
 se inferens, quasi Deus quidam de cælo tul-  
 minans, è machinâ orationis tonat, & quo-  
 dam veluti fragore totam obruit, sternitque  
 concionem? Quid ubi hisce eloquentiæ armis  
 munitus, gravis, acer, velox, sibi ubique par,  
 Iubanum Imperatorem, cui perfidiæ infandæ  
 crimen. *Apostata cognomentum*, & notam  
 inussit, aggressus est? quot, quantisque moti-  
 bus, quibus contentionis arietibus eum ver-  
 beravit, concussit, labefactavit? Hæc scilicet  
 tanta eloquentiæ præstantia illa fuit, quæ  
 nunquam ipsum, licet solitudini addictum  
 quàm maximè, in recessu quiescere, aut latere  
 passa est. Hæc fuit, quæ integras Urbes po-  
 pulos

M. 5.

\* Pleraque ex Caussino deprompta.



pulosque ad illum in antris, & saltibus commorantem, tot tantisque perlustratis regionibus, diligentissime perquirendum, excitavit. Hæc fuit, quæ relicto toties Concionatoris munere profugum, atque in speluncas abditum, frustra reluctantem, in sacra iterum rostra, atque suggestum evocavit. Hæc fuit, quæ, quum idem ipse ad cives Constantinopolitanos numero penè infinitos in maximo, refertissimoque templo diceret, tanto repente silentio, atque admiratione universos defixit, ut nemo ab eo oculos, vel aures aliò averteret, aut declinaret, nulla neque vox, neque susurrus, neque oscitatio, imò ne respiratio quidem exaudiretur. Tanta fuit innumerabilis populi ejus ex ore pendentis approbatio, tantusque assensus, ut ipsemet Gregorius tam insolitum admirationis prodigium non potuerit non summopere admirari, palamque fatei etiam coactus sit, ita omnes suam erga eloquentiam, ut ferrum erga magnetem, affectos: nec secus, atque ab isto illud trahitur, eloquentiæ vi ab se abreptos, suam in sententiam universos transiisse.

177. Hanc denique expletam undique eloquentiæ formam ille Concionatorum omnium coryphæus Joannes Chrysostomus (ut interim Tullianorum aliorum Oratorum, atque Concionatorum, qui suam in potestatem quoscunque animos dicendo semper redegerunt, integrum agmen tacitum prætermittam) ille, inquam, Antistitem omnium singulare decus, cui auræ facundiæ copia aurei oris cogn-



gnomen indidit; suis coloribus, si quis alius, ad vivum supra omnes expinxit. Quis enim elegantiore literaturâ excultus? quis in rerum divinarum mysteriis interiori versatus? quis in implicatarum difficultatum nodis dissolvendis expeditior? quis in obscuris quibuscunque tenebrosisque sententiis verborum perspicuitate illustrandis lucis quosdam radios unâ cum verbis ipsis clarius, aut copiosius spargit? Felicissimam celestis hic præco in dicendo popularitatem mirâ temperat majestate; idem verborum nexibus volucer, & A  
 gravis; incitatus, & severus; fusus atque adstrictus. Videas in eo speciosas quidem rationes; videas circuitum, & pompam; sed ab omni redundantiâ, atque affectatione prudenter sejunctam. Videas thesaurum sapientiæ, sensus opulentos, tractus lenissimos, figuras, quâ dignitate, quâ venustate decoras: sed hæc omnia ab omni ostentatione aliena. Fuit ille incredibilis cujusdam eloquentiæ theatrum B  
 amplissimum, in quo omnium animos quâ, & quo volubat, ab eodem adductos, traductosque licebat intueri. Nam quis, rogo, quis in C  
 timos hominum sensus magis exploravit? Iracundiæ faces subjiceret? illico omnia ignescabant. Furorem blando sermone deliniret? Statim vel immites terras cicurabat. Pervicaces, & refractarios increparet? Subito tanquã sagittis confixi ingemiscebant. Animum commiseratione tangere niteretur? omnium oculi, atque animi colliquescebant. Quum verò eï lubet, oratione utitur adamantinâ, eaque vell



quovis ictu fulmineo potentius saxa, & marmora, hoc est, contumaces, & capitones perumpit, ac domat. Quoties Antiochenum illum populum tam varium, cerebrosum, & reclamantem, contentè perorando subegit? quoties in lacrymas solvit? quoties examinavit suspiriis? quoties in quendam clamosi plausus tumultum excivit? ò prodigium tuæ eloquentiæ, Concionatorum eloquentissime, insolitum, atque inauditum! Quoties namque tuâ victi eloquentiâ Auditores, te dicentem secundâ admurmuratione, atque acclamatione interturbârunt? quoties acriter argenti se dediderunt? quoties toto nisu, ne penitus opprimerentur, vociferando, lacrymandoque lacrymantem oppresserunt?

178. Quid quòd Chrysofomi non tantum in suggestu dicentis Oratio animata, ut ita loquar, & spirans, adeo potens, & divina visa est, sed exarata quoque dumtaxat in tabulis, & pugillaribus, muta, elinguis, ac fere mortua, non minùs sollertissimos quosque, & disertissimos, ne dum indoctos, & rudes tenuit, **C**pellaci que quodam illicio fascinavit? Testor ego Libanium illum Sophistarum omnium sui temporis maximum, qui Chrysofomi nostri æqualis, imò & magister, quum Orationem laudativam ab eodem ad se dono transmissam in conventu insignium Oratorum recitasset neminem ex tanto sapientum viros numero fuisse, qui non statim gaudio tripudiaverit, atque acclamaverit, acclamationique ea omnia, quæ homines inopi-

nata.



natâ percussî admiratione, edere solent, ad-  
 junxerit, ex fide, sancteque commemorat. \*  
 Quod si Chrysoſtomus in eâ laudatione pau-  
 lû utique, ut res poscebat, hilariore, vel ta-  
 citis ex foliis, paginisque faces vibravit, &  
 fulmina; jam reputate vobiscum, Auditores,  
 atque colligite, quantus ille in gravioribus  
 argumentis fuerit, quàm contentiosus, & ve-  
 hemens. Cernite illum in Arrianos favissi-  
 mos nostræ religionis hostes apud Imperato-  
 rem, rectè quidem sentientem, sed eorum fa-  
 ctione trepidantem, metu sollicitum, ancipiti-  
 que eventu anxium, magno animo invehen-  
 tem. Quanto sententiarum pondere, quibus  
 affectuum catapultis illum percellit? quibus  
 incensæ orationis sulphuratis malleolis ani-  
 mum præsentis non inflamat? Quantâ vi  
 dicendo (an potius tonando?) exclamat, fre-  
 mit, excandescit, statimque Cæsarem, posito  
 timore, ad diram illam Arrianorum, licet  
 nobilium, ac præpotentum luem totâ ex urbe  
 pellendam movet, incitat, adigit? Sed quàm  
 longè operosioris adhuc molis fuit, Gainam  
 Imperatorii ductorem exercitus, viribus gra-  
 tiâque Arcadii Augusti tumentem validâ ora-  
 tione prosternere? Ades dum fæva Arrianorum  
 belua, infestissime propugnator, vindexque  
 crudelissime? Ades adumbratâ rerum bellica-  
 rum gloriâ inflata, excetra? Ades ingenti au-  
 licorum famulitio, Arrianisque clientibus sti-  
 pate prædo? Ades tuæ sectæ, atque factionis

M. 7. homi-

\*In Epistola ad ipsūmet Chrysoſtomū scriptâ, rela-  
 tâq; ab Isidoro Pelusiotâ in Epistola ad Orpheliū.



hominibus, patrone omnino impudentissime, templum audacissime; postulans? Ut concedatur, misces precibus minas, totoque anhelitu iras, & furias proflas? Nutat, Auditores, Imperator: quid ineat consilii, ignorat. Paterna pietas altis impressa vestigijs, hinc illum elatis vocibus Christiani officii, nefariaeque insolentiae compescendae admonet: at impotentissimi hominis repulsam ambitioso stomacho minimè concocturi artes, viresque illinc eundem territant; verendumque etiam atque etiam est, ne maximam potentiam, quasi arcum in ipsum Imperatorem evertendum, verat, imperiique jam fatiscantis summam funditus exterminet. In tantâ igitur rerum omnium timiditate, in tam ancipiti deliberatione, praesentique discrimine quid praesidii superest, aut perfugii? En pannosus ille, ille abjectus, pauloque ante ignotus Anachorita Chrysothomus, eloquentiâ praecinctus, in aciem fortiter prodit, cum hoste truculentissimo acerrimè congregitur, projecta frontem audacie fortissime contundit, furoris dementissimi effraenem impetum arctissime coeaprimat, arrogantissimum hominem, quasi puerum virgâ, extemplo coercet, frustra que invidia lacrymante, nostrâ autem Religione gestiente, tum bonis omnibus gaudio exultantibus, atque plaudentibus, scelestissimae Haereticorum postulationi intercedit, planeque securim injicit: superbissimum Ducem confertissimâ non tam militum, quam latronum manu vallatum, metuendumque in eâ ipsâ Urbe, in quâ



quâ jam sibi Imperii sedem animo destinârat, vagum, errabundum, profugum, basilicæ ex-  
petitæ immunem, irrisum, atque extorrem fa-  
cit, amandat, exturbat.

*Summariū totius de ingenio disputationis. A  
ac refutationis.*

179. **Q**Uæ quum ita sint, Auditores, ut  
omnia, quæ de perfectæ eloquentiæ  
ingenio latiùs disceptavimus, in summam ve-  
luti, & brevium contrahamus: quum no-  
stris Oratoribus, atque Concionatoribus hinc  
nobilissima, simulque difficillima persuadendi  
provincia totius conatus finis, constituta sit;  
illinc verò Orationum, Concionumque in-  
strumenta artificio tam eximio, arduo, atque  
recondito, tantâ perspicuitate, tantâ varietate,  
tantâ proprietate, tantâ contentione, ad  
persuasionis opus moliendum, accuratè, sol-  
lertèque fabricata, jure suo vendicentur:  
quis jam arcem, regnumque omnium inge-  
niorum Ciceronianis ab ingeniis tanto viriù,  
ac prærogativarum apparatus occupatum non  
fateatur? Cui tandem vel cæcutienti non illu-  
cescat, quantum sit tuum, M. Tulli, quantum  
vestrum, Ciceronis alumni, ingenium, quod  
tam egregia monumenta enititur? quàm vi-  
vidum, quàm perspicax, quàm volucres, ac  
sapiens? quàm supra manem logodædalorum  
ostentationem elatum? quàm à vulgari homi-  
num, eorum etiam, qui se doctos, acutosque,  
aavitâ tamen Minervâ, dici, haberi que vo-  
lunt,



lunt, conditione remotum? quàm denique  
sublime, quàm capax, quàm, uno verbo, in-  
comparabile, ac divinum?

180. Non sum tamen nescius, Auditores,  
hujusmodi ingenium tam insigne non omni-  
bus arridere: quin etiam nonnullis, atque uti-  
nam non pluribus quoque penè sordere. At  
hoc ipsum M. Tullii, aliorumque tanto sub  
**A** Imperatore stipendia merentium Oratorum,  
atque Concionatorum decus est, hæc regie  
eloquentiæ gloria immortalis, hoc ingenii  
**B** præstantissimi exploratissimum præjudicium,  
id genus hominibus perridiculis in primis  
displicere. Hæc prima ex tam multis tanto-  
rum virorum dotibus est, perennis imperito-  
**C** rum invidia. Hæc nostræ causæ basis immo-  
bilis, quod M. Tullius, veraque forma elo-  
quentiæ nullos alios sui, nisi Orationis tam  
**D** sicæ, tam stramineæ, tam inflatæ, tam poe-  
ticæ, tam perversæ amatores, implacatos nu-  
merat accusatores. Vos verò omnes Tulliana  
dicendi formæ insensu hostes, quum arrogan-  
tiâ, atque ambitione turgeatis, pergite sanè  
Ciceronis ingenium contemnere, ve trum  
autem habere in deliciis. Pergite, quum  
auræ popularis sitis mancipia, plausus, atque  
gloriolæ illecebras deperire. At dum Tul-  
liana ingenia tam inconsideratè spernitis,  
**E** nempe vos ab ingenio exheredatos ex asse  
imprudenter omnino proditis. Dicam ami-  
cè, dicam ex animo, dicam liberè; sed dicam  
verissimè. Vos, quum nihil penè, quod ad  
persuasionem faciat, invenire, componere ve-  
possitis,



possitis, ingenio estis non dicam, eximio; non concedam, magno; non feram, mediocri; sed obscuro planè, atque sublesto. Duplo insuper, aut triplo tardiores, atque infeliciores, tum quia à persuasionis calle, quod vosmetipsi ultro fatemini, tam longè, ut vici, peregrinamini: tum quia quum ingenio sitis, ut dixi, adeo poenitendo; nihilominus vos ipsos supra Aristoteles, supra Tallios, supra Chrysostomos, vestri existimatione decepti, inaniter extollitis: tum denique quia, quum tanto in errore versemini, hunc ipsum errorem ignoratis, vosque solum ingeniosos, solos sapientes arbitramini. O ingenii tenebras! ò noxam! ò caliginem.

181. Hac igitur tantâ ingenii imbecillitate atque inopiâ, in tam proletariâ acuminum mundinatione, ornatusque intemperantiâ: quum, ut modo patefeci, Adversarii vexentur: desinant, quæso, æquissimi Judices, desinant aliquando caussari, aut comminisci, se, quò majorem sibi ingenii gloriam parerent, Tullianumque stylum simplicem nimis, & jacentem, appictis sententiolis incitatiùs vibrant, acuerentque sollertiùs, à Ciceroniano dicendi caractere discessisse. Quippe quum hæc ipsa à Cicerone defectio ingenii per quàm tardi tessera sit comperitissima, qui possunt acuendi magis ingenii causa eundem Ciceronem deseruisse?